This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google


Digitized by Google


Digitized by Google

79-4-21

UNIVERSIDAD COMPLUTENSE

531939131X

D 2410

Digitized by Google

56 — 3

COMPENDIUM

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ.

Digitized by Google

Digitized by Google

24110
2
Ch 35t

COMPENDIUM

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

PER INTERROGATIONES ET RESPONSA.

AUCTORE

R. P. THOMA EX CHARMES,

Provinciæ Lotharingiæ Capuccinorum Definitore, Custode Generali, necnon antiquo S. Theologiæ professore.

MATRITI

In Officina typographica Regii Arbitrii Beneficentiæ.

1806.

Digitized by Google


Digitized by Google

COMPENDIUM

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ.

TRACTATUS PRIMUS.

DE PROLEGOMENIS.

Hujus tractatus erunt tres dissertationes: 1.ª de ipsa theologia: 2.ª de locis theologicis: et 3.ª de propositionum censuris.

DISSERTATIO I.

De ipsa Theologia.

Quæres 1. Quid est theologia? *Resp.* Hæc, quæ secundum vim nominis est *sermo de Deo*, definitur: Habitus mentis, quo ex veritatibus immediate, vel mediate revelatis, aut ex una saltem revelata, variæ de Deo, rebusque divinis conclusiones per discursum deducuntur.

Q. 2. Quotuplex est theologia? *R.* Du-

Digitized by Google

plex, nimirum, speculativa et practica, seu moralis.... *Speculativa* est ea, quæ in objecti sui contemplatione quiescit, nihil circa illud operans.... Et *moralis*, quæ ad informandos mores tota occupatur.

Q. 3. Existitne theologia? *R. Affirm.* Quia ex sacris scripturis et traditione probamus res divinas, quomodo Christus ipse suam probavit divinitatem ex hoc Davidis textu, *Ps.* 100. *Dixit Dominus Domino meo;* ex quo sic arguit: *Ipse ergo David dicit eum Dominum, et unde est filius ejus?*

Q. 4. An theologia sit necessaria? *R.* 1.° Theologia secundum substantiam spectata, simpliciter, et absolute necessaria est corpori Ecclesiæ: quia ex D. Aug. (*lib.* 24. *de Trinit. cap.* 1.) Theologia est *Scientia, qua fides saluberrime gignitur, nutritur, defenditur, et roboratur;* atqui talis scientia est absolute necessaria corpori Ecclesiæ: *ergo*, &c.

R. 2.° Theologia scholastica corpori Ecclesiæ non est absolute necessaria; quia hæc cum sola theologia positiva diu stetit, diuque floruit sine ope scholasticæ, quæ primum apud græcos ortum habuit sæculo VIII. et apud latinos sæculo XII. tempore Petri Lombardi episcopi Parisiensis, cui originem debet.

Est tamen valde utilis, cum multum conferat, 1.° ad philosophos per propria prin-

Digitized by Google

cipia ad fidem veritatis perducendos: 2.° ad refellendos sophistas: et 3.° ad faciliorem rerum, quæ ex fide sequuntur, intelligentiam; quod enim vario multiformique argumento suadetur, id firmius hæret animis discipulorum; hinc D. Basil. (*in cap. 2. Isaiæ*) dicit: *Dialectica muri instar est dogmatibus, quod ea non sinit facile diripi, et quorumlibet incursioni patere.*

Dices: Scriptura, et SS. Patres rejiciunt usum philosophiæ, tanquam fidei nocivum: *ergo*, &c. *R. Dist. ant.* Tanquam fidei nocivum, per accidens, *conc.* per se, *neg. ant.* Loquuntur ergo de philosophia falsa et sophistica, supra auctoritatem scripturæ et traditionis dominativa, quæ tota est ad simplicitatem fidei circumveniendam; non vero de vera philosophia, quam adhibent theologi ad detegenda et solvenda hæreticorum sophismata, et quæ captivatur in obsequium fidei, à qua regitur ut ancilla, cui dominari non permittitur.

Q. 5. Quodnam est objectum materiale theologiæ? *R.* Deus ipse, et res omnes, quæ ad Deum aliquo modo referuntur, vel tanquam effectus ad causam, ut angelus, homo, mundus hic aspectabilis; vel tanquam instrumentum salutis nostræ animatum, ut Christus, qui per passionem suam nos redemit, et per gratiam suam nos perducit ad patrem; vel tanquam instrumentum salutis inanima-

Digitized by Google

tum, ut sunt sacramenta novæ legis, quæ sanctificant hominem per gratiam, quam significant, et producunt; vel tanquam media ad finem, ut sunt actus humani. *Ratio est*: quia theologia circa illa omnia versatur.

Q. 6. Quodnam est objectum formale quod theologiæ? *R.* Ipsa divinitas; quia est fons et radix omnium, quæ in Deo sunt, et à Deo producuntur; quare enim est Creator, Sanctificator, &c.? quia habet divinitatem: quare est unus, trinus, infinitus? quia habet divinitatem: *ergo* divinitas est formalitas, sub qua theologia attingit suum objectum materiale: *ergo*, &c.

Q. 7. Quodnam est objectum formale quo, seu motivum theologiæ? *R.* Conclusio, quæ ex revelatione per argumentationem deducitur. Unde fundatur mediate in revelatione; per quod differt 1.° à fide divina, quæ habet pro motivo immediato ipsam revelationem: et 2.° à scientiis mere naturalibus, quæ nec fundantur in revelatione, nec deducuntur ex illa.

Q. 8. Ad quem habitum mentis reducitur theologia? *R.* Ad scientiam; quia ad hanc proprie dictam duo sufficiunt, nempe, evidentia consequentiæ, et certitudo consequentis; *atqui* theologia 1.° habet evidentiam consequentiæ, id est, evidenter cognoscit, propositionem, quam infert, necessario sequi ex præmissis: et 2.° habet certitu-

Digitized by Google

dinem consequentis, id est, veritatis, quæ ex præmissis deducitur, cum nitatur divina revelatione, quæ est certissima, cum Deus nec falli, nec fallere possit.

Q. 9. An theologia sit speculativa, vel practica? *R.* Est speculativa simul et practica: speculativa quidem, quatenus sistit in contemplatione sui objecti attributionis, quod est Deus: practica vero, quatenus ad Dei possessionem dirigit per virtutis exercitium, et peccati fugam.

Q. 10. Utrum theologia sit certior omnibus scientiis naturalibus? *R.* Est certior 1.° *Certitudine objecti*, quia versatur circa objectum magis immutabile et invariabile, nempe circa Deum, resque divinas: et 2.° *Certitudine subjecti*, quia motivum, propter quod intellectus assentitur conclusioni theologicæ, est certius ac firmius eo, quod in aliis scientiis intellectum determinat ad assensum: est enim divina revelatio quæ majorem certe habet certitudinem, quam principia lumine naturali cognita, quæ sunt motiva scientiarum naturalium.

Q. 11. An conclusio theologica sit æque certa ac fides divina? *R. Negat.* Quia conclusio theologica est tantum certa propter unam saltem præmissam de fide: *ergo* fides est certior conclusione theoligica; nam, ut fert axioma, *propter quod unumquodque tale, et illud magis tale.*

Digitized by Google

Q. 12. Utrum theologia nostra sit subalternata scientiæ sanctorum, seu intuitivæ Dei visioni? *R.* Est subalternata improprie, non proprie. *Prob.* 1.ª *pars*: quia duæ conditiones requiruntur, et sufficiunt ad subalternationem improprie dictam; nempe 1.ª quod scientia subalternans sit superior subalternata: et 2.ª quod scientia subalternata ad scientiam subalternantem comparandam ordinetur; *atqui* 1.° scientia beatorum est superior theologia viatorum: et 2.° ad scientiam beatorum comparandam ordinatur: *ergo.*

Prob. 2.ª *pars*: quia ad proprie dictam subalternationem requiritur: 1.° ut scientia subalternata habeat idem objectum, ac scientia subalternans, sed contractum per aliquam rationem accidentalem realem, sub qua à subalternante non consideretur: 2.° ut scientia subalternata desumat sua principia à subalternante: et 3.° ut subalternata cum subalternante sit compatibilis in eodem subjecto; *atqui* theologia nostra nullam habet ex his conditionibus respectu scientiæ beatorum: nam 1.° habet idem objectum ac theologia beatorum, nulla differentia reali contractum, nempe Deum sub ratione deitatis: 2.° theologia nostra non desumit sua principia à scientia beatorum, cum principia nostræ theologiæ sint propositiones fidei, quæ non reperiuntur in scientia beatorum: et 3.° nostra et beatorum theologia non possunt esse

Digitized by Google

in eodem subjecto, cum nostra sit obscura et inevidens, beatorum sit clara et evidens, quæ duo sese mutuo excludunt: *ergo*, &c.

Q. 13. An theologia nostra sit etiam sapientia? *R. Affirm.* Quia hæc est *cognitio rerum altissimarum per altissimas causas;* atqui theologia nostra est *cognitio rerum altissimarum*, nempe, Dei, rerumque divinarum, per altissimas causas, nempe, per revelationem divinam, quæ haud dubie est causa altissima: *ergo.*

Q. 14. An theologia sit scientia ordinis supernaturalis? *R.* Est scientia ordinis naturalis; quia ratio formalis specificativa theologiæ, nempe discursus, per quem acquiritur, est mere naturalis, cum sit actus intellectus agentis secundum suam virtutem naturalem: *ergo.*

Nec obstat, quod theologia habeat causam supernaturalem, nempe, revelationem; siquidem revelatio est causa tantum remota theologiæ, cujus causa proxima est judicium de connexione, quam habet aliqua veritas cum articulo revelato; quod judicium est merus fœtus rationis, illam connexionem per discursum apprehendentis; porro ordo, in quo est theologia, non sumitur ex ejus causa remota supernaturali, sed ex ejus causa proxima, quæ naturalis est.

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

De locis Theologicis.

Q. 1. Quid sunt loci theologici, et quot? *R.* Sunt sedes, ac veluti promptuaria, ex quibus theologia sua desumit argumenta: et sunt decem præcipui, scilicet, *Scriptura sacra; traditio*; *auctoritas Patrum; Ecclesia catholica; decreta summorum Pontificum; Concilia*, præsertim generalia; *auctoritas scholasticorum; rationis naturalis argumenta; philosophorum placita, et humana ratio....* Sex primi sunt *interni*, ex quibus theologia certa desumit argumenta; sed quatuor ultimi sunt *externi*, ex quibus desumit argumenta duntaxat probabilia. De his omnibus agetur sequentibus capitibus.

CAPUT I.

De Scriptura sacra.

Q. 1. Quid est scriptura sacra? *R.* Verbum Dei, ab auctore hagiographo, afflante Spiritu sancto, scriptum, et ut tale ab Ecclesia nobis manifestatum.

Q. 2. Utrum scripturæ, quæ nobis ab Ecclesia ut sacræ proponuntur, sint libri veri, prout verum opponitur supposititio? *R.* Sunt

Digitized by Google

libri veri, et non supposititi; quia illi libri quovis Ecclesiæ sæculo adscripti sunt auctoribus, quorum nomen præ se ferunt, ut constat 1.° ex infinitis scripturæ editionibus, quæ sub iisdem semper titulis in lucem prodierunt: 2.° ex eo, quod scriptores subsequentes, libros antea scriptos, sub iisdem nominibus semper allegent: sic in novo testamento citantur libri Moysis, Isaiæ, Jeremiæ, &c. *Et tandem* constat ex primis Ecclesiæ Patribus, qui libros novi testamenti sub propriis nominibus referunt: *ergo* sunt libri veri.

Q. 3. Libri veteris testamenti, qui Bibliis continentur, suntne integri? *R.* Sunt quoad partes substantiales, id est, quoad fidem et mores. Quia non fuerunt depravati à judæis, nec ante Christi adventum; neque enim eam eis depravationem objecerunt Christus, et Apostoli; atqui tamen *nusquam Dominus et Apostoli, qui cætera crimina arguunt in scribis, et pharisæis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuissent*, inquit D. Hieronim. (*in cap. 6. Isaiæ*); nec post Christi adventum, tum quia testimonia, quæ à Christo et Apostolis ex veteri testamento laudantur, omnia inveniuntur nunc in Moyse et Prophetis, ut ab illis citata sunt... Tum quia præcipua de Christo vaticinia eodem modo in nostris codicibus leguntur, quo in judaicis... Tum quia tanta est judæorum

Digitized by Google

religio erga libros sacros, ut scribat Philo judæus, quemlibet judæum centies potius moriturum, quam ut pateretur legem in aliquo mutari.

Q. 4. An textus originarius græcus novi testamenti sit purus et integer? *R.* Est quoad partes substantiales: 1.° quia idem est apud sectas, alioquin sibi infensissimas: 2.° quia nec tempus, nec auctores hujus depravationis citari possunt: et 3.° quia nulla rationabilis hujusce depravationis suspicio potest subesse; nam si à catholicis attentata fuisset, eam illis hæretici mox exprobrassent; si autem ab hæreticis, catholici statim reclamassent: *ergo*, &c.

Q. 5. Utrum libri qui Bibliis continentur, sint divinæ auctoritatis, ac proinde infallibilis regula fidei? *R. Affirm.* Quia ab auctoribus sacris ex speciali Spiritus sancti afflatu sunt scripti, juxta illud 2. *Petri* 2. *Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.*

Q. 6. Quis est auctor principalis scripturæ sacræ? *R.* Deus ipse, qui eam prophetis et apostolis, quasi dictando, inspiravit, *Ipse inscripsit*, inquit D. Greg. in præfat. in Job, *qui et illius operis inspirator extitit.*

Q. 7. Quinam fuerunt auctores scripturæ instrumentales? *R.* Homines, quibus Deus ad scribendum usus est, ex Apost. (*ad He-*

Digitized by Google

bræos 1.) dicente: *Olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime, diebus istis, locutus est nobis in filio.*

Q. 8. Quomodo Deus scriptoribus sacris afflaxit quæ scripserunt? an per simplicem approbationem eorum, quæ humanitus scripserunt? an per specialem assistentiam? an per revelationem? an per inspirationem? *R.* 1.° Ad scripturam sacram non sufficit simplex approbatio; aliàs scriptura non esset verbum Dei, quia non procederet de ore ejus. Unde cum apostolus refert aliquas poetarum sententias, eæ non sunt scriptura sacra, prout dictæ sunt à poetis, sed prout scriptæ sunt ab apostolo ex inspiratione Spiritus sancti.

R. 2.° Nec sufficit specialis Spiritus sancti assistentia: aliàs definitiones conciliorum essent scriptura sacra. *R.* 3.° Nec requiritur in omnibus divina revelatio. Revelatio enim est veritatis antea ignotæ manifestatio à Deo facta; *atqui* non omnia, quæ scripta sunt, antea scriptores sacri ignorabant: *ergo. R.* 4.° Requiritur et sufficit proprie dicta Spiritus sancti inspiratio. *Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines....* Porro inspiratio est *incitatio quædam interior, qua quis impellitur ad aliquid fixum, et determinatum scribendum, sive antea fuerit notum, sive non.*

Digitized by Google

Q. 9. Quid est scripturæ sacræ canon? *R.* Certus, ac determinatus catalogus librorum, quos Ecclesia ut sacros recipit. Unde dicuntur libri *canonici.* Quod si aliquos non recipiat Ecclesia, eo quod non certo constet eorum divinitas, dicuntur *apocryphi.*

Q. 10. Quot libros complectitur canon hebræorum? *R.* Viginti duo, ut docet Josephus (*lib. 1. contra Appionem*). Quod si aliqui ex patribus plures quam 22. enumerarint, id contigit, quod nonnullos ex iis, quos Josephus recensuerat, in plures partes, quasi in plures libros diviserint.

Q. 11. Quomodo hebræi dividebant suum canonem? *R.* Dividebant in legem, prophetas, et agiographos. Sub lege includebantur 5. libri Moysis. Sub prophetis, 8. libri, nempe 1. *Josue*: 2. *Judicum cum Ruth*: 3. *Samuel*, id est, liber 1. et 2. Regum: 4. *Melachim*, id est, 3. et 4. Regum: 5. *Isaias*: 6. *Jeremias cum Threnis*: 7. *Ezechiel*: et 8. *Liber duodecim minorum prophetarum*: et sub agiographis reponebantur 9. libri, nempe, *Job*; *Psalterium Davidis*; *Proverbia Salomonis*; *Ecclesiastes*; *Cantica Canticorum*; *Daniel*; *Paralipomenon*; *Esdras*, *et Esther.* Hinc, *Tobias*, *Judith*, *Baruch*, *Sapientia*, *Ecclesiasticus*, *primus*, *et secundus Machabæorum*, licet in magna veneratione fuerint apud hebræos, non tamen erant repositi in eorum canone.

Digitized by Google

Q. 12. Quot, et quosnam libros in suo canone recipit Ecclesia catholica? *R.* Hos 72. nimirum 45. veteris testamenti; et 27. novi, quos postquam recensuit conc. Trid. (*sess. 4.*) addit: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata editione habentur, pro sacris, et canonicis non susceperit, et traditiones prædictas sciens et prudens contempserit, anathema sit.*

Q. 13. An canon sacrorum librorum modo laudatus primum à conc. Trid. fuerit conditus? *R. Negat.* Nam ab antiquissimo tempore in Ecclesia Dei fuit constitutus, ut declarat decretum Tridentinum: *ergo* patres Tridentini, ut suum canonem adornarent, accurate expenderunt traditionem patrum, et conciliorum, quæ præcesserant: deinde, facto illo examine definierunt, communem patrum et conciliorum traditionem ferre, libros illos omnes ab Apostolis, ac primitiva Ecclesia, habitos fuisse pro canonicis, et eos ut tales ab omnibus suscipi debere, statuerunt.

Q. 14. Quomodo dividuntur libri canonici? *R. Dividuntur* 1.° in Proto-canonicos, et Deutero-canonicos. *Proto-canonici* sunt illi, qui semper, et ab initio in canonem Ecclesiæ fuerunt relati.... *Et Deutero-canonici*, qui ab initio in canonem Ecclesiæ non

Digitized by Google

fuerunt relati, eo quod aliqui catholici de eorum veritate dubitarent; quos tamen successu temporis, Ecclesia, facto traditionis et patrum examine, in suum canonem recepit. Et 2.° *dividuntur* ratione materiæ, de qua tractant, in legales, historicos, sapientiales, et prophetícos.

Q. 15. Quot sunt libri legales veteris testamenti? et quot historici? *R.* Legales sunt 5. libri Moysis, scilicet, *Genesis*, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, *et Deuteronomium*. Qui ex quinario numero vocantur *Pentateuchus*. Et historici sunt 17. nimirum, *Josue*, *Judicum*, *Ruth*, *quatuor Regum*, *duo Paralipomenon*, *duo Esdræ*, *Tobias*, *Judith*, *Esther*, *Job*, *et duo Machabæorum*.

Q. 16. Quot sunt libri sapientiales veteris testamenti? et quot prophetici? *R. Sapientiales* sunt 5. scilicet, *Proverbia*, *Ecclesiastes*, *Canticum Canticorum*, *Sapientia*, *et Ecclesiasticus*. Et prophetici sunt libri conscripti à prophetis, quorum 6. majores, scilicet, *David*, *Isaias*, *Jeremias*, *Baruch*, *Ezechiel*, *et Daniel*. Et 12. minores, nempe, *Oseas*, *Joel*, *Amos*, *Abdias*, *Jonas*, *Micheas*, *Nahum*, *Habacuc*, *Sophonias*, *Aggæus*, *Zacharias*, *et Malachias*.

Q. 17. Quot sunt libri legales novi testamenti? et quot historici? *R.* Legales sunt quatuor evangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam, et Joannem. Et historici,

Digitized by Google

est unicus, *Acta Apostolorum* dictus, quem scripsit D. Lucas, in quo mirandam Ecclesiæ nascentis historiam, illiusque in omnes gentes propagationem per Apostolos, et præcipue per Petrum et Paulum factam, describit.

Q. 18. Quot sunt libri sapientiales novi testamenti? et quot prophetici? *R. Sapientiales* sunt 21. nimirum 14. Epistolæ D. Pauli, et 7. Epistolæ *Catholicæ*, quæ etiam dicuntur *Canonicæ*, quarum *duæ* Petri, *tres* Joannis, *una* Jacobi, et tandem *una* Judæ. Et *prophetici* est unicus, nempe *Apocalypsis*, quem scripsit D. Joannes in exilio, quod passus est in insula Pathmos. Multa in eo prædicit, nimirum, Ecclesiæ persecutiones, et durissimas crudelitates sub execrabili Anti-christo, et tandem gloriam futuram beatorum. Quæ omnia sunt tot ænigmatibus involuta, ut nemo hactenus clare potuerit exponere mysteria in Apocalypsi annuntiata: *tot* enim in ea *sunt sacramenta, quot verba*, ait D. Hieron. epist. ad Paulinam.

Q. 19. Quosnam libros hæretici ex canone librorum sacrorum deleverunt? *R.* Lutherani, et Calvinistæ, omnes veteris testamenti libros, qui in antiquo judæorum canone non reperiuntur, è scripturarum canone deleverunt, sicut et librum *Esther*. Sed quoad libros novi testamenti, Lutherani è canone deleverunt epistolas Pauli *ad Hebræos*, *Ja-*

Digitized by Google

cobi, *Judæ*, *secundam Petri*, *secundam et tertiam Joannis*, et *Apocalypsim*. Hos tamen libros admittunt Calvinistæ præter epistolam *ad Hæbreos*, quam etsi divinam eam esse, fateantur; negant tamen, esse Paulinam.

Q. 20. Quo idiomate libri canonici primum conscripti fuerunt? *R.* 1.° juxta D. Hieron. libri veteris testamenti hebraica lingua fuere conscripti, *exceptis* 1.° *libris*, Danielis, Tobiæ, et Judith, qui chaldaice primitus exarati fuerunt; *exceptis* 2.° *libris*, Sapientiæ, et secundo Machabæorum, qui, juxta eundem D. Hieron. in prologo Galeato, græce fuerunt scripti. *R.* 2.° Omnes libri novi testamenti græci editi sunt ab Apostolis, exceptis evangelio D. Matthæi, et epistola ad Hebræos, qui hebraice fuerunt scripti, ut testantur D. Hieron. et Eusebius (*lib.* 6. *hist. cap.* 11.)

Q. 21. An editio hebraica Esdræ sit authentica? *Nota*: authenticum est illud, quod est indubitatæ auctoritatis, et in judiciis fidem facit. *R. Affirm.* Nam textus hebraicus tempore D. Hieronymi erat incorruptus quoad partes essentiales, et authenticus, cum juxta hunc textum vetus testamentum latine interpretatus sit; *atqui* ille textus (ejusque exemplaria) semper fuit custoditus, et conservatus à SS. Patribus, et Romanis Pontificibus, et usque in hodiernum diem servatur

Digitized by Google

in biblioteca Vaticana, et in aliis bibliotecis: *ergo*, &c.

Obj. Sola vulgata est declarata authentica à conc. Trid. *ergo*, &c. *R.* Est sola declarata authentica per exclusionem aliarum versionum latinarum, *conc.* per exclusionem editionum hebraicæ, et græcæ germanarum, *neg. ant.* Neque enim Patres Tridentini fontium mentionem fecerunt.

Q. 22. Quænam versiones revocantur ad editionem hebraicam? *R.* Hæ tres, scilicet, *Samaritana*, quæ non differt ab hebraica nisi penes characteres: *Syriaca*, quæ tempore Christi vocari solebat hebræa; quia Hebræi linguam syriacam sibi vulgarem fecerant: hæc, qua Christus et Apostoli usi sunt, fuit semper summæ auctoritatis: et *Chaldaica*, quæ potius paraphrasis est dicenda, quam versio, et quæ nullius est auctoritatis, cum Thalmudistarum fabulis sit conspersa.

Q. 23. Quot sunt veteris testamenti versiones græcæ? *R.* Sunt variæ, inter quas principem locum obtinet *Versio 70. Interpretum*, sic dicta, quia eam fecerunt 72. seniores judæi; sex nimirum ex qualibet tribu, græce pariter et hebraice peritissimi, regnante Ptolomæo Philadelpho Ægyptiorum Rege, qui ad Eleazarum summum Pontificem miserat, senioresque totidem petierat, qui sacros libros in græcum sermonem transferrent in *Pharos* insula.

Digitized by Google

Q. 24. Utrum versio 70. sit authentica? *R. Affirm.* Tum quia ea usa est olim, et etiam nunc utitur Ecclesia græca; tum quia ea usi sunt Apostoli, cum vetus testamentum in suis epistolis ad gentes ad fidem conversas laudarunt. Hinc D. Irenæus de hac versione loquens, (*lib. 3. cap. 15.*) ait: *Per aspirationem Dei interpretatæ sunt scripturæ.*

Q. 25. Quot sunt utriusque testamenti latinæ versiones? *R.* Sunt variæ, inter quas præcipuum locum tenet versio D. Hieronymi, quæ *Vulgata* dicitur, et qua nunc utuntur omnes catholici occidentales..... Eam conc. Tridentinum (*sess. 4.*) declaravit *authenticam*, hoc sensu, quod sit immunis ab omni errore *in his omnibus, quæ ad fidem, et mores spectant*, ut docet Canus (*lib. 2. de locis, cap. 13.*)

Q. 26. Utrum conc. Tridentinum, Vulgatam declarando authenticam, eam prætulerit hebraicis, et græcis fontibus? *R. Negat.* Quia concilium Vulgatam nullo modo contulit cum fontibus, sed tantum prætulit ipsam variis versionibus latinis, quæ circumferebantur: *Considerans*, inquit, *non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit, &c.*

Q. 27. Quandonam licitum est recurrere

Digitized by Google

ad fontes pro emendatione codicum latinorum? *R.* Licitum est 1.° quando in codicibus nostris videtur esse error scribarum, aut librariorum: 2.° quando latini codices variant, nec certo sciri potest, quænam sit vera vulgatæ lectio: ea enim tunc vera erit, quæ fonti erit conformis: *et tandem* quando sententia in latino est ambigua, licet recurrere ad fontes, ad proprietatem et energiam vocabulorum habendam.

Q. 28. An scriptura sacra in linguam vernaculam translata, expediat omnibus? *R. Negat.* Quia, licet in se optima, tamen ratione loci, temporis, et personarum, pluribus potest esse noxia; multi enim propter infirmitatem, ignorantiam, aut malitiam, plus ex ejusmodi lectione detrimenti, quam utilitatis haurire possent, ut *experimento manifestum est*, ait conc. Trid. (*sess.* 4.)

Q. 29. An Ecclesia prohibuerit lectionem scripturæ sacræ in linguam vernaculam translatæ? *R.* 1.° Non prohibuit absolute; quia nullibi extat talis prohibitio generalis. *R.* 2.° Ecclesia justissimis de causis prohibuit, ne lectio scripturæ sacræ in linguam vulgarem translatæ omnibus indiscriminatim concedatur; sed "judicio episcopi aut inquisitoris stetur, ut cum consilio parochi aut confessarii, bibliorum à catholicis auctoribus versorum, lectionem in vulgari lingua eis concedere possit, quos intellexerunt ex ejusmodi

Digitized by Google

lectione, non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse, quam facultatem in scriptis habeant, &c." Regula IV. conc. Trid.

Q. 30. Quid est sensus sacræ scripturæ, et quotuplex? *R.* Genuina ejus significatio: et est duplex, litteralis, nempe, et mysticus, seu spiritualis. Sensus *litteralis* est ille, quem verba, sive proprie, sive metaphorice accepta, immediate significant: si proprie accipiantur, sensus litteralis est *proprius*: et si metaphorice, *metaphoricus*. Et sensus *mysticus*, seu spiritualis est ille, qui non verbis ipsis, sed rebus per verba significatis, indicatur: sic quod in Genesi litteraliter dicitur de duobus filiis Abrahæ, Apostolus in sensu mystico exponit de duobus testamentis.

Q. 31. Quotuplex est sensus mysticus? *R.* Triplex, moralis nempe, allegoricus, et anagogicus.... *Moralis* est rei ad morum instructionem significatio, per aliam rem scripturæ verbis immediate significatam: unde est de rebus agendis ... *Allegoricus* est rei ad Christum et Ecclesiam militantem pertinentis significatio, per aliam rem scripturæ verbis immediate significatam: hinc est de rebus credendis.... *Et anagogicus* est rei ad Ecclesiam triumphantem pertinentis significatio, per aliam rem scripturæ verbis immediate significatam: unde est de rebus sperandis.

Digitized by Google

Hi quatuor scripturæ sensus his versibus exprimuntur:

Littera gesta docet, quid credas, allegoria;
Moralis quid agas; quo tendas, anagogia.

Q. 32. An sub iisdem S. scripturæ verbis multiplex aliquando reperiatur sensus litteralis. *R. Affirm.* Sic illud Psalmi secundi, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te*, Apostolus. (*Ad Hebr. 1.*) exponit de generatione Christi æterna, *cui Angelorum dixit; Filius meus es tu, &c.* Quod idem Apostolus (*Act. 13.*) explicat de resurrectione Christi: *Resuscitans Jesum, sicut in Psalmo 2. scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Q. 33. Ex quonam sacræ scripturæ sensu theologia potest certa deducere argumenta? *R.* Ex solo sensu litterali, non autem ex mystico, nisi aut ab Ecclesia proponatur, aut scripturæ, et traditionis auctoritate nitatur, aut ex ipsa textus sacri serie certo colligatur: quia tunc certum est, sensum mysticum à Spiritu sancto fuisse intentum: talis est sensus, quem Apostolus (*1. ad Cor. 9.*) ex his verbis (*Deut. 25.*) *Non alligabis os bobi trituranti*, eruit ad probandum ministris evangelii deberi stipendia. *Nunquid de bobus*

Digitized by Google

cura est Deo, inquit, *an propter nos utique hoc dixit? nam propter nos scripta sunt.*

Q. 34. Utrum in quolibet scripturæ textu, præter sensum litteralem, contineatur aliquis sensus mysticus? *R. Negat.* Quia, ut ait D. Aug. (*q.* 2. super Genesin): *In quibusdam locis solus sensus litteralis quærendus.* Quinam enim sensus mysticus in his verbis? *Non occides, non furtum facies.*

Q. 35. Utrum detur aliquis scripturæ textus, in quo non sit sensus litteralis, sed tantum spiritualis? *R. Negat.* Quia nullus assignatur textus, cujus verba aliquid immediate non significent, sive proprie, sive improprie; *atqui* talis sensus est litteralis: *ergo*, &c.

Q. 36. Quando idem textus videtur habere duos sensus contrarios et incompossibiles, quomodo exponi debet? *R.* Exponi debet juxta sequentes regulas: 1.ª *regula*: ille sensus est solus verus, qui à tota Ecclesia est receptus: sic hujus textus, *Pater major me est*, sensus totius Ecclesiæ est, filium non in omnibus, sed solum secundum humanitatem, esse patre minorem: 2.ª *regula*: ille sensus est verus, qui magis cohæret cum alio scripturæ sacræ loco, quomodo hic textus, *Pater major me est*, intellectus de minoritate filii secundum humanitatem, cohæret cum hoc alio textu: *Ego, et Pater unum sumus. Joan.* 10.

Digitized by Google

3.ª *Regula*: sensus SS. Patrum est tenendus, maxime si omnes, vel plures in eundem sensum cosentiant: 4.ª *regula*: ubi Patres circa sensum S. scripturæ dissentiunt, liberum est cuique, quem probabiliorem judicat, sequi, modo illos sensus Ecclesia non respuat: 5.ª *regula*, quando uterque sensus est incompossibilis, nec, quis fuerit à Spiritu sancto intentus, cognosci potest, nec ex alio scripturæ loco, nec ex traditione Patrum, nec ex conciliis, nec ex recursu ad fontes, tunc ille præferendus est, qui rationi naturali est conformior.

Q. 37. Quid est sensus accommodatitius? *R.* Ille, quo ea, quæ litterali, aut mystico sensu, alia occasione, dicuntur in scriptura, per quamdam extensionem ac similitudinem ad aliquid aliud applicantur." Hic sensus non habet auctoritatem divinam, cum nec immediate, nec mediate à Spiritu sancto fuerit intentus; potest tamen admitti, cum eo scriptura, Ecclesia, et Patres usi fuerint: sic quod (*Zach.* 3.) dicitur de Jesu Sacerdote, et Zorobabele Duce, S. Joannes, (*Apoc.* 11.) acommodat Enoch, et Eliæ, dicens: *Hi sunt duæ olivæ.*

Q. 38. Quænam conditiones requiruntur, ut scripturæ adscribatur sensus accommodatitius? *R.* Hæ quatuor: 1.ª ut non adstruatur, tanquam sensus litteralis, aut mysticus: 2.ª ut sensus falsus non attribuatur scripturæ per

Digitized by Google

accommodationem; 3.ª ut sensus accommodatitius ad res pias applicetur: et 4.ª ut quando sacer scriptor dicit, quidpiam factum esse, *ut adimpleretur scriptura*: illud per accommodationem non accipiatur; sed vel sensu litterali, quando id secundum litteram fit, quod erat prædictum; vel mystico, quando figura, aut prophetia ipso eventu impletur.

CAPUT II.

De Traditione, et SS. Patribus traditionis testibus.

Q. 1. Quid est traditio? *R.* Doctrina ad fidem, mores, vel disciplinam christianam spectans, quæ in libris canonicis non est scripta, sed quæ conservatur vel in conciliis, in patribus, aut in unanimi Ecclesiarum consensu.

Q. 2. Quotuplex est traditio? *R.* Triplex, nimirum, *Divina*, quæ est verbum Dei non scriptum, sed ab Apostolis, quatenus verbi Dei præconibus, ad nos viva voce transmissum. *Apostolica*, quæ est doctrina, quam Apostoli *ipsi*, quatenus Ecclesiæ pastores, instituerunt, et ad nos viva voce transmiserunt; talis est observatio diei Dominicæ, jejunii Quadragesimalis, &c. *Et ecclesiastica*, quæ est doctrina, quæ à successoribus Apostolorum, accedente fidelium usu fuit in-

Digitized by Google

troducta, et ad nos usque transmissa; tales sunt festorum celebrationes, aquæ lustralis usus, &c.

Q. 3. Utrum extiterint, tum in lege naturæ, tum in lege Mosaica, divinæ quædam traditiones? *R.* 1.° Extiterunt in lege naturæ: nam Adamus filios suos docuit, quæ sibi de mediatore Christo, et aliis mysteriis revelata fuerant; filii Adami, quæ à Patre didicerant, suis posteris ad Moysen usque (non interrupta serie) communicarunt: *ergo. R.* 2.° Extiterunt in lege Mosaica: quia Israelitæ ex sola traditione habebant divinitatem librorum in canone repositorum; remedium ad tollendum peccatum originale, non solum in femellis, sed etiam in masculis ante octavum diem decedentibus, &c. Hinc (*Genes. 18.*) dicitur: *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi; majores tuos, et dicent tibi.*

Q. 4. Utrum in lege nova necessario admittenda sit traditio divina, tanquam altera fidei regula? *R. Affirm.* Quia non omnia fidei dogmata continentur in verbo Dei scripto; v. g. quod libri in scriptura sacra contenti sint divini; quod Deipara, etiam post partum, virginitatem servaverit; quod valeat baptismus datus parvulis; quod valeat datus ab hæreticis et peccatoribus; quod sint tantum quatuor evangelia; quod Christus descenderit ad inferos, &c. *Ergo* ad hæc omnia credenda necessaria est traditio.

Digitized by Google

Hinc Apostolus thessalonicensibus jubet, ut traditionibus firmiter adhæreant: *State*, inquit, *thessal. 2. c. 2. et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem*, scilicet ore prolatum, *sive per epistolam nostram.* Quem locum D. Chrysost. (*Hom. 4.*) enarrans, ait: *Hinc patet, quod non omnia per epistolam tradiderunt Apostoli, sed multa etiam sine litteris. Eadem vero fide digna sunt, tam illa, quam ista.... traditio est, nihil quæras amplius.*

Obj. 1.° Moyses, (*in Deut.* 4.) Apostolus (*ad Galat. 1.*) D. Joannes (*in Apoc. ult.*) et Christus (*in Matth. 14.*) prohibent usum traditionum, tum in fide, tum in moribus: ergo. *R. Neg. ant.* Nam 1.° Moyses, et D. Joannes prohibent tantum traditiones, quæ sunt additio ad verbum Dei: *Non addetis*, inquit Moyses, *ad verbum, quod ego præcipio vobis, nec auferetis ex eo.* D. Joannes ait: *Si quis apposuerit ad hæc, apponet et Deus super ipsum plagas*: at divinæ traditiones non sunt additiones humanæ ad verbum Dei, cum sint ipsummet verbum Dei, licet non scriptum: *ergo....* Præterea vetant tantum, ne minuatur, vel addatur aliquid, per quod textus alteretur, vel corrumpatur: aliàs illicitum fuisset Deuteronomio et Apocalypsi alios addere libros.

2.° Apostolus quoque de traditionibus ad verbum Dei additis loquitur, nempe de tra-

Digitized by Google

ditione conjungendi legalia cum evangelio, quæ contraria erat doctrinæ, quam Paulus Galatas docuerat: *Miror*, inquit, *quod tam cito transferamini in aliud Evangelium... sed licet nobis aut Angelus de cœlo evangelizet, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* In quo textu particula *præter* sumitur evidenter pro particula *contra*; sed traditiones divinæ non sunt contrariæ verbo Dei, cum et ipsæ sint verbum Dei: *ergo*, &c. Demum Christus non loquitur de traditionibus divinis, sed de pharisaicis, quæ Dei legi erant contrariæ: *Irritum fecistis mandatum Dei*, inquit, *propter traditionem vestram.*

Obj. 2.° Patres passim docent, omnes tum fidei, tum morum regulas scripturis contineri: *In his, quæ aperte posita sunt in scriptura*, ait D. Agust. (*lib. 2. de doctrina christ. cap. 9.*) *inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresque vivendi*: ergo. *R.* Patres iis in locis loqui de iis tantum fidei mysteriis, quorum explicita cognitio est ad salutem necessaria, et de communibus morum præceptis, quæ in Decalogo continentur: at non loquuntur de aliis omnibus mysteriis, nec de conclusionibus, quæ ex Decalogo colligi debent; aliàs sibi contradiceret D. Aug. qui (*lib. 1. contra Crescon. c. 33.*) dicit: *Scripturæ veritatem à nobis teneri: quando facimus, quod universa Ec-*

Digitized by Google

clesiæ placet, etiamsi nihil de ea re scriptum legamus.

Q. 5. Quomodo traditiones divinæ, et apostolicæ distinguntur à traditione mere ecclesiastica? *R.* In hoc distinguuntur, quod mere ecclesiastica, cum post tempora Apostolorum emanarit, 1.° non semper viguit, sed habuit initium, vel in decretis SS. Pontificum, in conciliorum canonibus, aut in statutis Patrum. 2.° Non ubique viguit, sed in una, aut in aliquibus tantum Ecclesiis particularibus reperitur, et observatur. *E contra* divinæ et apostolicæ traditiones semper et ubique viguerunt, juxta hanc regulam ab August. (*lib. 4. contra Donat. c. 24.*) traditam: *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum, non nisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.*

Q. 6. Quomodo traditiones divinæ secerni possunt à traditionibus pure Apostolicis? *R.* Ad hoc vulgo traduntur quatuor regulæ, et sunt hæ: 1.ª si quod fidei dogma patres concordissime tenuerint, ejusque contrarium, ut hæreticum refutarint, nec tamen in scripturis reperiatur; illud est traditionis divinæ: quia omnia fidei dogmata habemus ex divina revelatione: hujusmodi est perpetua virginitas Deiparæ, etiam post partum: 2.ª si quidquam est nunc in Ecclesia communi fidelium consensione probatum, quod

Digitized by Google

humanam excedit potestatem, illud est traditionis divinæ: talis est, v. g. praxis vota dissolvendi, juramenta relaxandi, &c.

3.ª *Reg.* Si SS. Patres unanimiter doceant, aliquam traditionem esse divinam, tenenda est ut traditio divina, etiamsi illius materia non excedat potestatem apostolorum, et Ecclesiæ. Secus, si solum ut traditionem apostolicam, vel ecclesiasticam tradiderint. Ratio est, quia unanimis patrum consensus est fidei nostræ infallibilis regula: et 4.ª *Reg.* Quando aliqui Patres in hanc traditionem non consentiunt, judicandum est, eam traditionem esse divinam, quæ reperitur in præcipuis, et apostolicis Ecclesiis, in quibus interrupta non fuit episcoporum successio, qualis nunc est sola Ecclesia Romana.

Q. 7. Quinam sunt traditionis testes? *R.* Patres, qui primis Ecclesiæ temporibus sanctitate et doctrina ab Ecclesia recepta et approbata illustres, Christo filios genuerunt, genitos nutrierunt, ac in fide et communione catholica perstiterunt. Hinc in Patre Ecclesiæ quatuor requiruntur, 1. scientia eminens ab Ecclesia recepta et approbata: 2. eximia vitæ sanctitas: 3. perseverantia in fide et communione catholica: et *tandem* antiquitas notabilis.

Q. 8. Utrum unius, aut alterius patris de rebus divinis sententia, aliis tacentibus, firmum argumentum ministret? *R. Negat.* Quia

Digitized by Google

nullus pater de se est infallibilis, eum aliqui, etiam ex gravioribus, erraverint, etiam in eis, quæ postea deprehensa fuerunt pertinere ad fidem.

Q. 9. Quale Theologo præbet argumentum plurium patrum in unum dogma consensus, aliis ex altera parte, licet pauciori-bus, reclamantibus? *R.* Præbet argumentum probabile, sed non omnino certum. *Prob.* 1.ª *pars*: quia probabilitas alicujus facti extrinseca ex numero testium eruitur: *ergo* ubi plures sunt testes, ibi est magna probabilitas, quod veritatem fuerint assecuti, licet alii, numero pauciores, reclament. *Prob.* 2.ª *pars*: quia cum plures patres unum factum affirmant, aliis, licet numero paucioribus reclamantibus, non certo constat, utra pars veritatem asserat; fieri enim potest, ut qui ex altera parte reclamant, assecuti fuerint germanum, aut scripturæ, aut traditionis assensum: *ergo*, &c.

Q. 10. Utrum unanimis SS. Patrum in aliquod dogma consensus, certissimum, et infallibile præbeat theologo argumentum in iis, quæ ad fidem, et mores spectant? *R. Affirm.* Quia unanimis ille consensus certissimum est divinæ traditionis testimonium: *ergo* certissimum, et irrefragabile subministrat argumentum. *Hinc* 1.° *Conc.* Nicænum II. anath. 7. ait: *His, qui doctrinas SS. Patrum, et traditionem Catholicæ Ec-*

Digitized by Google

clesiæ contemnunt, execratio. Ex quo patet, doctrinam SS. Patrum, et Ecclesiæ traditionem ita esse connexas, ut qui unam tentaverit labefactare, alterius quoque fidem concutiat, necesse sit. *Hinc.* 2.° Patres Chalcedonenses in definitione fidei, sic clamant: *Hæc est fides patrum, omnes ita credimus.* Unde Conc. Trid. *sess. 4.* districte prohibet: *ne quis Scripturam contra unanimem SS. Patrum sensum audeat interpretari.*

Obj. Singuli patres sunt fallibiles: *ergo* et unanimis patrum consensus. *R. Neg. cons.* Etsi enim singuli labi possint, quia homines: omnes tamen simul errare non permittet Deus; quia unanimis omnium consensus est sensus Ecclesiæ, ideoque et Spiritus sancti Ecclesiam per patres docentis. Unde eorum testimonium non est tunc humanum, cum sit Ecclesiæ, et ideo Spiritus sancti sensus.

Q. 11. Quænam servandæ sunt cautiones in legendis, aut laudandis patribus. *R.* 1.° Considerandum est *quo modo* scripserint: nam 1. si modo *theologica* scripserunt, rigorosius; si *oratorio*, minus rigorose eorum verba sunt accipienda; nam inter concionandum multa ex zelo hyperbolice dixerunt: 2. si ex professo aliquam quæstionem tractaverint, accuratius locuti sunt.

2.° Considerandum est *quo tempore* scripserint, hamque 1. si ante exortas hæreses et materiæ discussionem, minus accurate,

Digitized by Google

quam postea scripserunt..... 2. Si ante Ecclesiæ definitionem, potuerunt absque hæreseos nota scribere, quæ postea ab Ecclesia fuere damnata: et ideo nec D. Cyprianus, nec alii africani, rebaptizantium errorem propugnantes, fuerunt hæretici. 3° Considerandum est *qua ætate* scripserint; quia ætate juniori multa scribuntur, quæ senili maturius examinata, vel gravius tractantur, aut omnino retractantur, ut constat ex libris retractationum D. Augustini.

4.° Considerandum est, *qua occasione* scripserint; sæpius namque contigit, ut SS. Patres in refellendis quibusdam hæresibus usi sint terminis, qui in specie quidem oppositis erroribus faverent; sed reipsa et secundum sensum ab illis omnino differrent. *Demum* cum agitur de aliquo dogmate, olim ab hæreticis impugnato, illi patres præ cæteris sunt consulendi, et sequendi, quos ad has hæreses debellandas Deus Ecclesiæ suæ, singulari beneficio concessit: hinc ubi agitur de Christi divinitate, S. Athanasius; ubi de incarnatione, S. Cyrillus; et ubi de prædest. et gratia, S. Augustinus, cæteris omnibus sunt præferendi.

Digitized by Google

CAPUT III.

De Ecclesia.

Quær. 1. Quid est Ecclesia stricte sumpta. *Resp.* Cœtus hominum viatorum, unius et ejusdem fidei christianæ professione, et eorumdem sacramentorum communione adunatus, sub regimine legitimorum pastorum, ac præcipue Romani Pontificis. De omnibus, quæ Ecclesiam spectant, agemus distinctis paragraphis.

§. I.

De Membris Ecclesiæ.

Q. 1. Utrum infideles sint membra Ecclesiæ. *R. Neg.* Nam eos extra Ecclesiam esse, testatur Apostolus (1. ad Cor. 5.) *Quid enim mihi*, ait, *de iis, qui foris sunt, judicare?*

Q. 2. Utrum Catechumeni sint in Ecclesia? *R.* Non sunt. Constat tum ex Ecclesiæ definitione, tum quia per solum baptismum homines aggregantur Ecclesiæ, juxta illud *Act. 2. Qui receperunt sermonem ejus, baptizati sunt, et appositæ sunt* (utique ad corpus Christi, quod est Ecclesia) *in illa die animæ circiter tria millia.* Ergo licet prius crediderint, non sunt in Ecclesia *appositæ*, nisi per baptismum. Hinc Conc. Flo-

Digitized by Google

rent. ait: *Baptismus vitæ spiritualis janua est.*

Obj. 1.° Catechumeni possunt salvari: *ergo.* *R. Neg. cons.* Quia ad hoc, ut quis salvetur, non requiritur absolute, ut actu sit in Ecclesia; sed sufficit, ut in ea sit per sincerum cordis desiderium, nec per eum stet, quin in eam actu per baptismum ingrediatur; taliter autem se habent catechumeni.

Obj. 2.° Catechumeni habent fidem, et charitatem: *ergo*, &c.... *R. Dist. cons.* Sunt in Ecclesia quoad animam, *conc.* quoad corpus, *nego cons.* Ut ergo quis dicatur esse in Ecclesia, non sufficit, quod habeat esse formale Ecclesiæ, sed requiritur præterea, ut habeat esse materiale, quod quidem positum est in eo, quod quis baptismum actu susceperit.

Q. 3. Utrum soli prædestinati sint membra Ecclesiæ? *R. Negat.* Nam reprobi, qui sub legitimis pastoribus fidem exterius profitentur, sunt membra Ecclesiæ, ut constat 1.° ex *Matth.* 3. ubi Ecclesia comparatur areæ, quæ habet *paleas igni inextinguibili comburendas.* 2.° *ex Matth.* 22. ubi comparatur convivio nuptiali, in quo erat, qui ejectus fuit in tenebras exteriores: et 3.° *ex Matth.* 27. ubi comparatur decem virginibus, inter quas fuerunt quinque fatuæ, quibus sponsus dixit: *Nescio vos.*

Obj. 1.° Ecclesia comparatur cum arca

Digitized by Google

Noe: *ergo* sicut in arca Noe non fuerunt, nisi qui salvandi erant ex aquis diluvii, ita et in Ecclesia sunt ii tantum, qui sunt prædestinati. *R. Dist. ant.* Quoad aliqua, *conc.* quoad omnia, *nego ant.* In eo ergo stat Ecclesiæ cum arca Noe comparatio: 1.° quod sicut in arca fuerunt animalia munda, et immunda, ita et in Ecclesia sunt boni et mali: et 2.° quod sicut nemo salvari potuit extra arcam, sic nemo potest extra Ecclesiam salvari. In hoc stat, nec alia quærenda est similitudo.

Obj. 2.° D. Aug. sæpius docet, reprobos ad Ecclesiam non pertinere, *ergo*, &c. *R. Dist.* Docet reprobos ad Ecclesiam non pertinere quoad suum esse finale, quod est status patriæ, *conc.* quoad suum esse formale, quod est charitas; vel corporale, quod est cœtus hominum viatorum eandem fidem sub legitimis pastoribus profitentium, *nego.* D. ergo Aug. sumit Ecclesiam secundum esse finale.

Q. 4. Utrum soli justi sint membra Ecclesiæ? *R. Negat.* Nam etiam gravissimi peccatores sunt membra Ecclesiæ, ut constat 1.° Ex figuris Ecclesiæ in superiori responsione relatis... 2.° Ex eo quod possint ejici ab Ecclesia, *ex Matth. 18.* et de facto incestuosus Corinthius de Ecclesia ab Apostolo ejectus est ut ait (1. ad Cor. 5.)... et 3.° Quia pro peccatoribus specialiter institutum fuit pœnitentiæ sacramentum; neque enim sacramenta nisi pro Ecclesiæ membris, sunt instituta: *ergo.*

Digitized by Google

Obj. 1. Peccatores non pertinent ad Christum, ex Apost. (ad Rom. 8.) sic loquente: *Qui spiritum Christi non habet, hic non est ejus:* ergo. *R. Dist. ant.* Non pertinent ad Christum, secundum formam, quæ est charitas, *conc.* secundum materiam, quæ est externa fidei professio, *nego ant.*

Obj. 2.° Ecclesia est sancta: *ergo.... R.* Est sancta ratione præcipuorum ejus membrorum, doctrinæ, sacramentorum, &c. *conc.* ratione omnium ejus membrorum, *nego ant.* Porro denominatio fit à nobiliori parte.

Obj. 3.° Impii diabolum habent pro patre, ex *Joan. 8.* ubi ait: *Vos ex patre diabolo estis:* ergo non possunt habere Ecclesiam pro matre. *R. Dist. ant.* Impii habent diabolum pro patre, ratione imitationis, *conc.* ratione doctrinæ, *nego ant.* Sic enim omnes, qui sunt in Ecclesia, sunt filii Dei, et Ecclesiæ, cujus doctrinam retinent; tamen possunt esse boni, et mali.

Obj. 4.° D. Aug. (*lib. 5. de Bapt. c. 3.*) affirmat, malos non pertinere ad Ecclesiam, eo quod hæc sit sine macula, et ruga: *ergo*, &c. *R. Dist. ant.* Ad Ecclesiam triumphantem, *conc.* ad militantem, *nego ant.* Ita se explicat D. Aug. (*lib. 2. Retract. 18.*).

Q. 5. Utrum hæretici publici, et apostatæ, sint membra Ecclesiæ? *R.* Non sunt: nam Innoc. III. (*cap.* Firmiter *de summa Trinit.*) dicit, quod Ecclesia sit fidelium cætus et

Digitized by Google

societas; *atqui* hæretici et apostatæ manifesti *circa fidem naufragaverunt*; ut docet Apostolus, (*1. ad Tim. 1.*) ergo, &c. Hinc de iis conc. Nicænum 1. *can.* 8. dicit: *Si qui voluerint venire ad Ecclesiam catholicam ex novatianis* (hæreticis publicis), *placuit S. Concilio, ut ordinentur, et sic maneant in clero.* Nemo autem potest venire in Ecclesiam, nisi qui est extra eam.

Obj. 1.° Juxta parabolam zizaniorum, in eodem agro sunt zizania cum bono semine; *atqui* per *agrum* intelligitur Ecclesia, per *bonum semen* intelliguntur catholici, et per *zizania*, hæretici: *ergo* sunt membra Ecclesiæ. *R. Neg. min.* Nam per *agrum* non intelligitur Ecclesia, sed universus mundus, ut semetipsum interpretatur Christus, dicens: *Ager autem est mundus*, in quo haud dubie multi sunt hæretici.

Obj. 2.° Ecclesia non judicat, nec punit, qui sunt extra illam, ex Apost. (*1. ad Cor. 6.*) dicente: *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* atqui Ecclesia judicat et punit hæreticos manifestos: *ergo*, &c. *R. Neg. maj.* Nam Ecclesia judicat, et punit suos disertores, quia ad eam pertinent ratione baptismi.

Obj. 3.° Hæretici manifesti, 1.° retinent characterem baptismi: 2.° veros Christi generant filios: *et tandem* habent vera sacramenta: ergo. *R. Neg. cons.* Nam 1.° character baptismi

Digitized by Google

non sufficit, ut quis sit in Ecclesia; sed insuper requiritur fidei professio sub legitimis pastoribus.... 2.° Veros Christo filios generant, non ex Ecclesia sponsa Christi, sed ex Ecclesiæ ancilla, quæ ex sacramentis à Christo institutis filios Christo generat, non secus ac Ecclesia sponsa Christi.... 3.° Habent vera sacramenta, quæ non à sua societate, sed à vera Ecclesia acceperunt, quæ secum extra Ecclesiam detulerunt, per quæ gratiam consequuntur infantes.

Q. 6. Utrum schismatici manifesti sint membra Ecclesiæ? *R.* Non sunt; quia Ecclesia est societas membrorum inter se, et cum suo capite; *atqui* schismatici publici non sunt pars illius societatis: *schisma* enim scissuram et separationem significat: *ergo*, &c. Hinc est, quod Ecclesia in die Parasceve Deum roget *pro schismaticis, ut eos ad sanctam Matrem Ecclesiam catholicam, et apostolicam revocare dignetur.*

Obj. 1.° Schismatici retinent fidem catholicam: *ergo* sunt catholici. *R. Dist. ant.* Retinent fidem catholicam extra Ecclesiam catholicam, *conc.* in Ecclesia catholica, *neg. ant.* Sunt ergo separati ab unitate, et sic extra Ecclesiam, *quamvis ea credant, quæ credimus*, ait D. Aug. (*lib. de Symbolo, cap.* 10.)

Obj. 2.° Schismatici, etsi nolint subesse S. Pontifici, servant communionem cum

Digitized by Google

Christo per fidem, et subjectionem: *ergo* sunt in Ecclesia. *R. Neg. ant.* Quia non potest subesse Christo, qui non vult subesse ejus vicario.

Obj. 3.° Qui renuit subesse suo episcopo, non est extra Ecclesiam, modo velit subesse Romano Pontifici: *ergo* qui renuit subesse Romano Pontifici, non est extra Ecclesiam, modo velit subesse Christo.

R. Neg. ant. Nam qui à suo episcopo, summo Pontifici unito et subdito, sese disjungit, ab Ecclesia universali separetur, necesse est; nam ex D. Thom. (2. 2. q. 39. art. 1.) *Schismatici dicuntur, qui subesse renuunt summo Pontifici, et qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant.*

Q. 7. Utrum hæretici, et schismatici occulti sint membra Ecclesiæ? *R.* Sunt, sed imperfecta tantum, et quantum ad corpus. visibile. Hoc probat D. Joannes (*Epist. 1. c.* 2.) de iis dicens: *Et nunc Anti-christi multi facti sunt; ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis; mansissent utique nobiscum.* Ergo sunt in Ecclesia, et non sunt; sunt quoad corpus, nam *exierunt ex nobis*; non potuissent autem exire de Ecclesia, nisi fuissent in illa. Non sunt in Ecclesia secundum animam: nam *non erant ex nobis.* Postquam D. Augustinus ita interpretatus est hunc textum, conclusit sic: *Sunt in corpore Christi, quemodo humores mali.*

Digitized by Google

Obj. Ecclesia definitur: *Societas fidelium*; atqui hæretici occulti non sunt fideles: ergo. *R. Dist.* Non sunt fideles interius, *conc.* exterius, quoad professionem fidei, *nego.* Hoc autem sufficit, ut ad Ecclesiæ corpus pertineant, tanquam membra arida, et mortua, quæ, quamdiu non sunt amputata, sunt vera membra.

Q. 8. Utrum excommunicati excommunicatione majori, sint membra Ecclesiæ? *R.* Non sunt, sive sint tolerati, sive non sint: nam 1.° Christus (*in Matth.* 18.) de excommunicatis dicit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus*; atqui ethnici non sunt de Ecclesia... 2.° Apostolus jubens excommunicare incestuosum Corinthium, ait: *Cur non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestri*, id est, ut ejiciatur de medio Ecclesiæ, *qui hoc opus fecit.*

Obj. 1.° Excommunicatio est essentialiter pœna medicinalis; *atqui* non esset talis, si christianum ab Ecclesia penitus ejiceret: ergo. *R. Dist. min.* Si ejiceret in perpetuum, et sine spe reditus, *conc.* ad tempus, nempe, donec à contumacia recedat, *nego.* Nam Ecclesia hac medicinali pœna cupit delinquentem humiliari, et humiliatum in suum corpus iterum redire.

Obj. 2.° Excommunicati tolerati valide sacramenta administrare possunt; ut constat

Digitized by Google

ex bulla, *Ad evitanda*: ergo non sunt ab Ecclesia penitus exclusi. *R. Dist. conseq.* Non sunt penitus exclusi quantum ad jurisdictionem, quæ ipsis in gratiam fidelium conceditur, *conc.* quantum ad bonorum communium, participationem, *nego*: hoc enim sensu sunt penitus exclusi.

§. II.

De Notis Ecclesiæ.

Q. 1. Quid sunt notæ Ecclesiæ? *R.* Certa, atque indubitata quædam signa sensibilia, per quæ vera Christi Ecclesia discerni potest à falsis hæreticorum, et schismaticorum sectis, quæ sese christianas immerito nuncupant.

Q. 2. Quales debent esse notæ veræ Ecclesiæ? *R.* Debent esse 1.° *propriæ*, ita ut omnes collective sumptæ, alteri societati convenire non possint; alioquin non possent veram Ecclesiam designare: 2.° *notiores ipsâ Ecclesia*; alioquin non essent verum medium ad demonstrandam veram Ecclesiam: 3.° *sensibiles*, ut omnes facile cognoscere possint veram Ecclesiam: *et tandem* debent esse *inseparabiles à vera Ecclesia*: alioquin certam notitiam parere non possent.

Q. 3. Quot sunt notæ veræ Ecclesiæ? *R.* Quatuor à conc. Constantinopolitano recen-

Digitized by Google

sentur, his verbis: *Credo... unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam*; ad quas omnes aliæ notæ, à diversis auctoribus traditæ, facile revocari possunt.

Q. 4. In quibus posita est unitas, quæ desideratur in Ecclesia? *R.* In tribus nimirum, 1.° in ejusdem fidei consensione: nam *unus est Deus, una fides, unum baptisma*: 2.° in eorumdem sacramentorum participatione: unde si plus, aut minus admittatur, quam admittit Ecclesia, non est unitas: et 3.° in eodem ubique terrarum regimine sub pastoribus ab apostolis continua successione ordinatis, atque Romano Pontifici subordinatis.

Q. 5. Utrum Ecclesia sit una? *R. Affirm.* Quia in scriptura vocatur *unum corpus*; ab Apost. (*ad Ephes.* 4.) dicitur *unum ovile*; *et in Joan.* 10. una sponsa sub unius columbæ figura: *una est columba mea*... Hinc patres comparant Ecclesiam cum arca Noe, cum veste Christi inconsutili, cum domo, in qua agnus Paschalis commedebatur; *atqui* una fuit arca Noe, una vestis Christi, una domus, &c.

Resolves: Extra Ecclesiam, cum sit una, neminem posse salvari; unde de hæreticis et schismaticis D. Cypr. (*Epist.* 62. *ad Pomponium*) ait: *Neque enim vivere foris possunt, cum domus Dei una sit, et nemini salus esse, nisi in Ecclesia, possit.*

Q. 6. Quodnam est centrum unitatis Ecclesiæ? *R.* Sedes Romana; quia jure divino ha-

Digitized by Google

bet primatum in universa Ecclesia: unde S. Iræn. (*lib. adversus hæreses, cap. 3.*) ait: *Ad hanc Ecclesiam Romanam propter potiorem principalitatem necesse est, omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles.*

Q. 7. Utrum Ecclesia romana sit sancta? *R. Affirm.* Nam sanctitas, quæ veræ Ecclesiæ est nota, in tribus potissimum posita est, nempe, 1.° in sanctitate fundatorum: 2.° in sanctitate doctrinæ et professionis: et 3.° in sanctitate præcipuorum membrorum; *atqui* Ecclesia romana 1.° pro fundatoribus agnoscit viros sanctitate insignes, nimirum Apostolos, et apostolicos viros, qui miraculis, et sanctitate clari, martyrium pro Christo, et Ecclesia subierunt: 2.° fidem sanctam, hoc est, integram, et sanctas morum regulas profitetur: et 3.° præcipua ejus membra sunt sancta: in illis nimirum regnat charitas illa, quæ diffusa est in cordibus eorum per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: *ergo.*

Obj. Ecclesia romana identidem indiget reformatione: *ergo* non est sancta. *R. Dist.* Indiget reformatione quoad disciplinam, quæ sæpius in non paucis languescit, *conc.* quoad fidem et mores, *nego*: nam Ecclesia romana semper retinuit doctrinam, quam ab Apostolis recepit.

Q. 8. Vera Ecclesia Christi estne catholica? *R. Affirm.* Est enim per totum orbem

Digitized by Google

miraculis se à Deo extraordinarie ad reformandam Ecclesiam missos probarunt: *ergo.*

Inst. Rapidissima tot populorum conversio, qui, intra brevissimum tempus reformationem amplexi sunt, est maximum miraculum: ergo. *R. Neg. ant.* Neque enim opus est miraculo, ut quis, relicto austeriore vivendi modo, amplectatur eum, qui omnibus cupiditatibus favet, quique vi, et armis propugnatus est. E contra maximum esse miraculum, quod tota christianitas ad calvinismum et lutheranismum non defecerit, nemo non videt.

§. III.

De Proprietatibus Ecclesiæ.

Q. 1. Utrum vera Ecclesia sit visibilis; hoc sensu quod inter alias sectas per totum orbem singulari quadam, ac eminenti perspicuitate omnium oculis præfulgeat? *R. Affirm.* Et prob. 1.° ex figuris, quibus Ecclesia comparatur; nempe, *in Matth. 5.* comparatur civitati supra montem positæ: *in Psal.* 18. soli; *et in Marci* 4. comparatur lucernæ in candelabro positæ; *atqui* omnes illæ figuræ sunt visibiles: ergo.... *Prob. 2.°* Quia Ecclesia debet regi ab episcopis; et si quis per schisma aut hæresim ab ea discesserit, ad ipsam redire tenetur; *atqui* neutrum

Digitized by Google

fieri potest, si Ecclesia non sit visibilis: *ergo*, &c.

Obj. 1.° Ecclesia creditur: *ergo* non est visibilis. *R.* In Ecclesia unum videtur, nempe, cœtus hominum Christi fidem sub legitimis pastoribus profitentium; et aliud creditur, nempe, illum cœtum esse veram Christi Ecclesiam.

Obj. 2.° Apostolus (*ad Hebr. 12.*) scribit, Ecclesiam non esse montem tractabilem: *ergo*, &c... *R.* Apostolus loquitur de Ecclesia in cœlis triumphante; unde subdit: *Et millium Angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis.*

Q. 2. Utrum Ecclesia visibilis sit indefectibilis? *R. Affirm.* Nam 1.° dicitur civitas, quam *Deus fundavit in æternum* (*sic in Psal. 47...*) 2.° Regnum *quod in æternum non dissipabitur, ex Daniel 2.* Tandem (*in Matth. 16.*) Christus dixit: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*: prævalerent autem, si posset deficere: *ergo*. Hinc August. contra Donatistas, qui hoc dogma negabant, ait: *Non vincetur Ecclesia, non eradicabitur, nec cedet quibuslibet tentationibus, donec veniat hujus sæculi finis.*

Obj. 1.° Ecclesia defecit tempore Eliæ, qui, (*in 3. Reg. 19.*) ait: *Dereliquerunt*

Digitized by Google

pactum tuum filii Israel, altaria tua destruxerunt.... Derelictus sum ego solus. R. Neg. ant. Nam Eliæ gementi, *Derelictus sum ego solus*, respondit Deus: *Derelinquam septem millia virorum in Israel, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.* Præterea tempore schismatis decem tribuum, remanserunt fideles Domino tribus Juda, et Benjamin, quibus se adjunxit integra tribus Levi, in quibus visibiliter remansit vera Dei Ecclesia.

Obj. 2.° Tempore arianorum visibiliter defecit Ecclesia: *Tunc*, ait D. Hieronymus, dialogo contra luciferianos, *Nicænæ fidei damnatio conclamata est. R.* Conclamata est, non quidem à patribus concilii Arimiensis, sed à Valente, et Ursacio episcopis arianis, qui post dissolutionem concilii, *cœperunt palmas suas jactare, dicentes, se filium non creaturam negasse, sed similem cæteris creaturis.*

Inst. Addit D. Hieron. *Ingemuit totus orbis, et arianum se esse miratus est*: ergo, &c.... *R.* Miratus est se esse arianum, apparenter, *conc.* in rei veritate, *nego.* Nam patres Ariminenses, non nisi arianorum dolis decepti, consenserunt suppressioni vocis, *Omousios, rati nihil periculi esse, nec curandum de vocabulo, cum sensus esset in tuto*, ait D. Hieronym. Et ideo, detectis arianorum fraudibus, reclamarunt, dicentes:

Digitized by Google

Putavimus sensum congruere cum verbis... Decepit nos bona de malis existimatio, &c. Ita refert D. Hieron.

Obj. 3.° Apostolus 2. *ad thessal.* 2. prædixit generalem apostasiam futuram in Ecclesia tempore Anti-christi: ergo.... *R. Neg. ant.* Nam (*Matth.* 24.) dicitur: *Propter electos breviabuntur dies illi.* Ergo erunt tunc veri Dei cultores.

Q. 3. Quinam est supremus controversiarum fidei judex? *R.* Sola Ecclesia docens, id est, corpus episcoporum romano Pontifici adhærentium. His enim, et non aliis, dictum est: *Euntes docete omnes gentes, ex Matth.* ult. His, et non aliis Christus promisit specialem assistentiam ad recte docendum, dicens: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi...* Hinc Apostoli constanter affirmant, sibi ita commissum esse evangelium, ut non nisi ab ipsis quærendum sit: *Probat sumus à Deo, ut nobis crederetur evangelium*, ait *Apost.* (*1. ad thessal.* 2.)

Q. 4. Utrum Ecclesia per totum orbem dispersa, sit infallibilis in definiendis fidei, et morum controversiis? *R. Affirm.* Quia hanc infallibilitatem Christus Ecclesiæ promisit. 1.° Quando, (*in Matth. 16.*) dixit: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*; atqui si non esset infallibilis, portæ inferi prævalerent ad-

Digitized by Google

versus eam.... et 2.° Quando *in Matth.* ult. dixit: *Euntes docete omnes gentes.... docentes eos servare omnia, quæcumque mandabi vobis: et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*: ergo Ecclesiæ pastoribus promisit specialem, ac perpetuam assistentiam, ne quid falsum docerent: *ergo.*

Obj. Singuli episcopi, seorsim sumpti, sunt fallibiles: ergo et omnes simul sumpti; nam valet illatio à sensu distributivo ad collectivum.... *R. Dist.* Valet illatio à sensu distributivo ad collectivum, quando collectio non plus habet, quam distributio, *conc.* quando collectio aliquid habet, saltem ab extrinseco, quod non habet distributio, *nego.* Porro Christus infallibilitatem promisit collectioni episcoporum, non singulis episcopis seorsim sumptis.

Q. 5. Utrum Ecclesiæ judicium de sensu librorum et propositionum definientis, sit infallibile? *R. Affirm.* Nam Ecclesia est infallibilis in his, quæ ad fidem pertinent, ut fide constat; *atqui* judicium de sensu orthodoxo, vel heterodoxo librorum, ad fidem pertinet: ergo. *Prob. min.* tum ex D. Leone, qui in sua ad Synodum Chalcedonensem epistola, asserit: *Pertinere ad puritatem fidei, atque doctrinæ, damnare hæreses cum suis auctoribus.*

Tum quia sine infallibili Ecclesiæ judicio

Digitized by Google

de sensu librorum fides illibata custodiri non potest, nec defendi (cum sine eo, nec SS. Patrum libros, in quibus fides traditur, approbare; nec hæreticorum scripta, in quibus evertitur, reprobare possit.) *Ergo* cum sit de munere Ecclesiæ, fidem custodire illibatam, eamque contra omnes novitates defendere, ejus de sensu librorum judicium pertinet ad fidem... Hinc concilium generale V. tria capitula sub anathematis pœna damnans, declarat, se ea damnare virtute horum verborum: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, et *sponsabo te mihi in fide*: quibus Christus promisit Ecclesiæ infallibilem in rebus religionis auctoritatem.

Obj. Quæstio de sensu librorum est quæstio facti; *atqui* Ecclesia non est infallibilis in quæstionibus facti: ergo. *R. Dist. maj.* Est quæstio facti dogmatici, id est, facti dogmate permixti, *conc.* facti particularis, seu personalis, *neg. maj.* atqui Ecclesia non est infallibilis in quæstionibus facti particularis, *conc.* pendet enim à testimonio hominum fallaci: in quæstionibus facti dogmatici, *nego min.* judicium enim Ecclesiæ de facto dogmatico non pendet ex testimoniis hominum, sed ex collatione doctrinæ in libris contentæ cum scriptura, et traditione, quæ sunt certæ fidei regulæ.

Inst. Multi episcopi diu v. concilio restiterunt, et damnationem trium capitulorum.

Digitized by Google

rejecerunt: *ergo* senserunt judicium Ecclesiæ de factis dogmaticis non esse infallibile. *R. Dist. ant.* Damnationem trium capitulorum rejecerunt, eo quod crederent, Ecclesiam falli posse in suo de textibus dogmaticis judicio, *nego ant.* eo quod falso et ex errore crediderint, tria capitula in concilio Chalcedonensi approbata fuisse, et concilium v. non esse generale, *conc. ant.* Unde illi episcopi tanquam schismatici habiti sunt ab Ecclesia, nec ad ejus communionem fuerunt admissi, nisi postquam tria capitula damnarunt, et conc. v. ut legitimum et generale susceperunt.

CAPUT IV.

De Romano Pontifice.

Q. 1. Utrum D. Petrus acceperit à Christo primatum in universa Ecclesia? *R.* Accepit, non solum supra fideles, sed et supra alios Apostolos. Nam 1.° constitutus est fundamentum Ecclesiæ, nam Christus dixit (in Matth. 16.) *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.... 2.°* Accepit claves regni cœlorum: *Tibi dabo claves regni cœlorum*, ut ait ibidem; nomine autem clavium intelligitur primatus et suprema potestas... Et 3.° constitutus est pastor, non solum fidelium, sed et omnium pasto-

Digitized by Google

rum, (ex Joann. 21.) ubi ait: *Pasce agnos meos*, id est, fideles: *pasce oves meas*, id est, pastores: *ergo*, &c. Quare D. Hieron. (*lib. 1. ad Jovian.*) ait: *Inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio.*

Q. 2. Quinam D. Petro succedit in universali primatu Ecclesiæ? *R.* Romanus Pontifex; quia tenet cathedram, in qua Petrus sedit et mortuus est, ut testantur Eusebius, (*in chronico annorum 44. et 71.*) D. Hieron. (*de Viris illustribus, in Petro.*); Paulus Orosius (*lib. 7. histor. c. 6.*) et alii omnes scriptores ecclesiastici fide dignissimi.... Hoc dogma de fide definitum est in conciliis, Nicæno 1. can. 6. *Ecclesia romana semper habuit primatum;* Chalcedon. (*Act. 16.*) in quo patres clamarunt: "Perpendimus omnem quidem primatum et honorem præcipuum, secundum canones, antiquæ Romæ Dei amantissimo Archiepiscopo conservari;" Et Florentino, in quo dicitur sess. 6. "Definimus, sanctam apostolicam sedem, et romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum romanum Pontificem successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium christianorum patrem, ac doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro

Digitized by Google

J. C. plenam potestatem traditam esse quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum conciliorum, et in sacris canonibus continetur."

Hinc clerus Gallicanus in comitiis generalibus anni 1681. hanc de Rom. Pontifice edidit declarationem: "Caput est Ecclesiæ, centrum unitatis: obtinet ille in nos primatum auctoritatis, et jurisdictionis sibi à Christo Jesu, in persona sancti Petri, collatum: qui ab hac veritate dissentiret, schismaticus, imo et hæreticus esset."

Obj. 1.° Primatus totius Ecclesiæ fuit privilegium personale Petri: *ergo* non transit ad ejus successores. *R. Dist. ant.* Fuit privilegium personale Petri, cum potestate ipsi à Christo facta, illud alligandi ad aliquem determinatum locum, *conc.* sine tali potestate, *nego.* Itaque primatus Petro primum collatus est sine alligatione ad aliquem locum, sed cum potestate illum postea sic ad aliquem locum particularem alligandi; et cum Petrus, ex speciali Dei inspiratione, et jussu, sedem Romæ ultimo fixerit, illiusque episcopus mortuus fuerit: inde factum est, ut romanus episcopus succedat Petro in omni potestate, quam Petrus pro se, et pro suis successoribus à Christo accepit.

Obj. 2.° Ex facto Petri sedem Romæ figentis ortum est, quod romanus episcopus, potius quam alter, succedat Petro in prima-

Digitized by Google

tu totius Ecclesiæ: *ergo* jure humano, non divino, succedit in primatu. *R. Dist. ant.* Ut succedat in primatu, quoad ordinem successionis, *conc.* quoad ipsam successionem, *neg. ant.* Nam ut observat Bellarm. (lib. 2. de Rom. Pontifice, cap. 12.) "Aliud est successio, et aliud ordo successionis: nam successio Rom. Pontificis in Pontificatum Petri ex instituto Christi est; ratio autem successionis, qua Rom. Pontifex, potius quam Anthiochenus, aut aliquis alius, succedat, ex facto Petri ortum habuit, non ex prima Christi institutione. Nam potuisset Petrus nullam sedem particularem sibi unquam eligere, sicut fecit quinque primis annis, et tunc, moriente Petro, non episcopus romanus, neque Anthiochenus successisset, sed is quem Ecclesia sibi elegisset; potuisset quoque semper manere Anthiochiæ, et tunc Anthiochenus sine dubio successisset; quia vero Romæ sedem fixit, et tenuit usque ad mortem, inde factum est, ut Rom. Pontifex ei succedat."

Inst. Primatus à canonibus Rom. Pontifici est delatus; nam sic ait *can. 28.* concilii Chalced. *Antiquæ Romæ throno, quod urbs illa imperaret, jure patres privilegia contulerunt.* Ergo jure humano primatus competit. Rom. Pontifici. *R. Neg. ant.* Conc. enim Chalcedonense nullum novum privilegium Rom. Pontifici tribuit, sed privilegia

Digitized by Google

ei à Christo collata declaravit, et definivit, quomodo conc. Nicænum definivit, Christum esse consubstantialem patri, ut docet D. Thom. opusculo contra impugnantes religionem: *Ecclesia romana nullis Synodicis constitutis, cæteris Ecclesiis prælata est, sed evangelica voce Domini, et Salvatoris nostri primatum obtinuit.*

CAPUT V.

DE CONCILIIS IN GENERE, ET IN PARTICULARI.

§. I.

De Conciliis in genere.

Q. 1. Quid est concilium? *R.* Congregatio prælatorum Ecclesiæ legitima auctoritate convocatorum, ad tractandum de rebus Ecclesiæ gravioribus; quales sunt res fidei, morum, et disciplinæ.

Q. 2. Quot sunt conciliorum genera? *R.* Quatuor: *generale* nimirum, quod universam repræsentat Ecclesiam, et *œcumenicum* vocatur, quando convocatione, celebratione, et exitu legitimum est; *nationale*, quod regni alicujus; *provinciale*, quod alicujus provinciæ; et *diœcesanum*, quod cujusdam diœcesis particularis repræsentat Ecclesiam.

Digitized by Google

Q. 3. Cujusnam est concilium generale convocare? *R.* Summi Pontificis, cui soli competit potestas ordinaria convocandi concilia generalia: ita ut nisi concilium ab ipso, vel ab alio de ejus consensu et auctoritate convocetur; aut saltem nisi, convocatio ab alio facta, ab ipso rata habeatur, non possit esse concilium generale, et œcumenicum.... *Ratio est*, quia solus est universalis Ecclesiæ caput, pastor et princeps, cui soli dictum est, (*in Joann.* 21.) *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Hæc veritas in conc. Nicæno 1. *can.* 1. definita est, his verbis: *Non debent præter sententiam Rom. Pontificis concilia celebrari.*

Obj. 1.° Octo priora concilia generalia, non à Rom. Pontificibus, sed ab Imperatoribus fuerunt convocata; et tamen habentur ut legitima et œcumenica: *ergo*, &c. *R. Dist. ant.* Fuerunt convocata ab Imperatoribus, auctoritate et consensu Rom. Pontificum, à quibus erant rogati, *conc.* proprio suo nomine et auctoritate, *nego.* Tali porro usi sunt œconomia Rom. Pontifices, quia sine Imperatorum auxilio non potuissent episcopos congregare: 1.° quia legibus imperii cautum erat, metu seditionum, ne citra Imperatoris auctoritatem, ullus fieri posset hominum conventus: et 2.° quia patres ad concilium concurrentes indigebant Imperatorum auxilio, tam pro securitate itineris, quàm pro

Digitized by Google

sumptibus necessariis, quos Imperatores episcopis, utpote pauperibus, debebant suppeditare.

Obj. 2.° Possunt dari casus, in quibus convocatio concilii generalis sit necessaria; v. g. si plures de papatu contendant, nec ullus velit cedere, nec concilium convocare: *ergo* non soli Rom. Pontifici competit potestas convocandi concilia generalia. *R. Dist. conseq.* Non soli R. Pontifici competit potestas ordinaria, *nego.* Extraordinaria, *conc.* Porro casus allegatus est extraordinarius, in quo fatemur, posse absque consensu Papæ congregari concilium, vel per cardinales, qui, sede vacante, Ecclesiam romanam moderantur; vel per episcopos, motu proprio in unum convenientes, et ideo dixi in responsione: *Potestas ordinaria.*

Q. 4. Quinam sunt ad concilia vocandi? *R.* Episcopi, qui soli, *de jure*, habent in conciliis jus suffragii decisivi tanquam judices fidei; quia iis solis dictum est, (*Act.* 20.) *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei*: ergo ad eos solos pertinet munus pascendi, et regendi Ecclesiam. Unde soli in conciliis subscribunt his verbis: *Ego N. episcopus definiens subscripsi.* Dixi in resp. *de jure*: quia de consuetudine vocantur, 1.° cardinales, generales ordinum, et aliqui abbates, quibus ex privilegio S. Pon-

Digitized by Google

tificis conceditur suffragium decisivum.... 2.° theologi et jurisperiti, sed tantum ut consultores.... et 3.° imperator, reges et principes, sed tantum ut concilii defensores.

Obj. In concilio apostolorum, (*Act. 15.*) dicitur: *Convenerunt Apostoli et seniores videre de verbo hoc;* atqui per to *seniores* intelliguntur ætate provectiores: *ergo*, &c. *R. Neg. min.* Nam per to *seniores* intelligi debent *presbyteri*: sic enim vertit translatio ex Syriaco, et translatio Erasmi permissa. Et quamvis non sit certum, an presbyteri illi fuerint simplices sacerdotes, an episcopi, probabile tamen est, quod fuerint episcopi; nomen enim *presbyter* sumitur pro episcopo, sic 1. *Petri cap. ult.* dicitur: *Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro consenior.* Quod si fuerint simplices sacerdotes, convenerunt, ut consultores ad discutiendam controversiam, juxta illud: *Cum magna disquisitio fieret*; sed nullo modo apparet, quod laici fuerint vocati.

Inst. Causa fidei et morum pertinet ad omnes fideles: *ergo* ab omnibus tractanda est.... *R.* Pertinet ad omnes fideles, sed diverso modo; nam pertinet ad episcopos ut judices; et ad alios fideles ut discipulos; episcoporum ergo est definire, et docere; fidelium vero definientes audire, et res ab eis definitas credere.

Q. 5. Quid requiritur ad legitimam con-

Digitized by Google

ciliorum generalium celebrationem? *R.* Requiritur, et sufficit 1.° ut convocatio sit generalis, ita ut omnibus majoribus Ecclesiæ provinciis innotescat: 2.° ut nullus episcopus excludatur, nisi sit excommunicatus: et 3.° ut ex majori parte provinciarum Ecclesiæ aliqui adveniant, qui cæterorum vota et vices suppleant; ita tamen ut, si concilium celebretur in oriente, sufficiat, multos ex provinciis orientis convenire, et aliquos ex provinciis occidentis: si autem celebretur in occidente, sufficiat, si multi ex provinciis occidentis adveniant, et aliqui ex oriente, qui cæteros repræsentent.

Q. 6. Quisnam debet generalibus conciliis præesse? *R.* Summus Pontifex, vel per se, vel per legatos quibus partes suas commiserit. Nam 1.° solus ex institutione divina primatum obtinet in universa Ecclesia: et 2.° SS. Pontifices præfuerunt omnibus conciliis generalibus quæ hucusque habita sunt, excepto secundo, quod œcumenicum non evasit, nisi quia S. P. Damasus illud approbabit, et confirmavit.

Obj. Constantinus Pogonatus præsedit concilio VI. nam initio actionum illius concilii legitur: *Præsidente eodem piissimo..... Imperatore Constantino* ergo, &c. *R. Dist.* Præsedit præsidentia honoraria, *conc.* auctoritativa, *nego.*

Q. 7. Quid requiritur ad legitimum con-

Digitized by Google

cilii exitum? *R.* Quatuor: 1.° ut episcopi convocati habeant suffragiorum libertatem... 2.° Ut nullus à concilio excludatur, qui audiri voluerit.... 3.° Ut adhibeatur humana diligentia in inquirenda veritate, quia, cum episcopis in concilio congregatis non fiat nova revelatio, debent in purissimis scripturæ et traditionis fontibus detegere, quæ habent fidelibus proponenda: ad hoc autem requiruntur studium, collationes, disputationes, &c...: Et 4.° Ut concilium approbetur, et confirmetur à Rom. Pontifice, juxta cap. *Significasti de elect.* ubi dicitur: *Omnia concilia per romanæ Ecclesiæ auctoritatem robur accepisse.*

Q. 8. Utrum concilium generale perfecte œcumenicum sit infallibile in fidei et morum controversiis definiendis? *R. Affirm.* 1.° Quia universam repræsentat Ecclesiam, quæ in controversiis de fide et moribus est infallibilis, cum sit *columna et firmamentum veritatis*.... 2.° Quia definitio concilii est ipsamet definitiò Spiritus sancti, juxta illud in concilio Jerosolymitano assertum, (*Act. 15.*) *Visum est Spiritui sancto et nobis*... 3.° Id etiam probatur ex perpetua traditione et sensu Ecclesiæ, quæ conciliorum œcumenicorum definitiones ut infallibiles et irreformabiles semper venerata est, quæque pro hæreticis habuit, quotquot eorum definitionibus contradixerunt.

Digitized by Google

Obj. 1.° D. Aug. (*lib. 3. contra Maximinum*) ait: *Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam præjudicaturus, proferre concilium; nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris:* ergo, &c. *R. Neg. conseq.* Ideo enim sic loquitur D. Aug. quia Maximinus rejiciebat concilium Nicænum ut illegitimum, et admittebat Arminense, quod D. Aug. rejiciebat: *ergo* incassum laborassent citando utrumque illud concilium.

Inst. D. Aug. (*lib. 2. de Bapt. cap. 3.*) asserit: *Plenaria concilia à posterioribus emendari posse:* ergo. *R. Dist.* In iis, quæ sunt facti aut disciplinæ, *conc.* in controversiis fidei et morum, *nego.*

Obj. 2.° D. Greg. Nazianz. (*Epist. 55. ad Procop.*) asserit: *Se nullius concilii finem lætum et faustum vidisse:* ergo. *R.* Loquitur de conciliis particularibus, in quibus Ariana factio prævaluerat.

Q. 9. Utrum concilia particularia, nationalia, nempe, et provincialia, sint infallibilia? *R.* Non sunt infallibilia de se, ut constat ex concilio Carthaginensi, in quo 80. episcopi, sub D. Cypriano congregati, erronee definierunt, baptismum ab hæreticis datum, esse invalidum. Si tamen S. Pontificis approbatione et accessu, ab Ecclesiæ universæ applausu sint firmata, sunt infallibilia; quia firmantur infallibili Ecclesiæ auctoritate.

Digitized by Google

Q. 10. Utrum concilia generalia sint absolute et in omni eventu necessaria? *R. Neg.* Nam variæ hæreses absque conciliis generalibus fuerunt damnatæ, et varia schismata extincta, tum ab Ecclesiâ dispersa, tum à SS. Pontificibus, et tum à conciliis particularibus S. Pontificis auctoritate roboratis.

Q. 11. An saltem in aliquibus casibus concilia generalia sint quodammodo absolute necessaria? *R. Affirm.* Quia sine concilio generali aliquoties, neque finis imponi controversiis, neque hæreses efficaciter confutari, neque decreta fidei et morum convenienter determinari possunt: *ergo* quandoque concilia generalia sunt quodammodo absolute necessaria, *ut veritas investigaretur, inventæ stabiliretur, omnisque contradicentibus occasio præriperetur*, ait Nilus thessalonicensis (*lib. 1. de primatu Papæ.*)

Q. 12. In quibus casibus concilii generalis celebratio est quodammodo absolute necessaria? *R.* In his tribus: *Primus* est hæresis nova, non quæcumque, sed ea, quæ à pluribus, iisque insignibus Ecclesiis impugnata, suo veneno potest magnos inficere populos. *Secundus* est schisma inter duo, vel plures de Papatu contendentes. *Et tertius* est reformatio generalis abusuum, qui in Ecclesiam irrepserunt.

Digitized by Google

§. II.

De Conciliis generalibus in specie.

Q. 1. Quot sunt concilia apostolorum certa? *R.* Tria Hierosolymis habita: 1. ad eligendum aliquem in locum Judæ proditoris: 2. ad eligendos septem diaconos: et 3. pro dirimenda controversia Antiochiæ orta de Circumcisione, aliisque legalibus cæremoniis servandis à gentilibus ad Christum conversis.

Q. 2. Quodnam est concilium generale primum post tempora apostolorum celebratum? *R. Nicænum* 1. à S. Sylvestro, sub Constantino magno convocatum, anno 325. in quo definitum est.... 1.° Contra Arium, Verbum esse Deum, et ejusdem essentiæ cum Patre.... 2.° Pascha debere celebrari die Dominica, quæ occurret post 14. lunam Martii, contra Quartodecimanos, qui asserebant, Pascha debere celebrari 14. luna Martii, more judæorum.... 3.° Extinctum fuit schisma, quod Meletius conflaverat contra Ecclesiam Alexandrinam... Et 4.° in hoc concilio conditi sunt canones 20. pro disciplina ecclesiastica restauranda. Hoc concilium est perfecte *œcumenicum*, sicut et concilium *Sardicense*, quod Nicæno 1. adjungitur tanquam illius appendix, quia in eo nihil de novo fuit constitutum, sed solum fi-

Digitized by Google

des Nicæna confirmata. *Primum* fuit approbatum à S. Sylvestro: *Secundum*, à Julio 1.

Q. 3. Quodnam est concilium generale secundum? *R. Constantinopolitanum 1.* à Theodosio seniore, annuente Damaso Papa, congregatum, anno 381. in quo definitum est contra Macedonium, Spiritum sanctum esse Deum cum Patre et Filio adorandum. Licet hoc concilium convocatione non fuerit generale, cum ad illud occidentales episcopi non fuerint vocati, evasit tamen generale *œcumenicum*, quando Damasus Papa illius decreta ad se missa, approbavit, ac ei, cum suo Romano concilio, accessit.

Q. 4. Quodnam est concilium generale tertium? *R. Ephesinum*, à Theodosio juniore, annuente S. P. Celestino 1. congregatum, anno 431. in quo definitum est contra Nestorium, unam tantum esse in Christo personam Verbi; ac proinde Mariam vere dici, ac esse Deiparam... Hoc concilium est perfecte *œcumenicum*, à S. Cælestino approbatum.

Q. 5. Quodnam est concilium generale quartum? *R. Chalcedonense* anno 451. à S. Leone magno, Marciano imperante, convocatum. In eo 1.° Dioscorus fuit depositus, eo quod in concilio Ephesino 11. præsidentia legatis Rom. Pontificis denegaverit, eamque usurpaverit... 2.° Latrocinii ephesinii (sic vocatur concil. Ephesinum 11.) acta fuerunt re-

Digitized by Google

probata. . . . 3.° Definitum est contra Eutychen, in Christo *duas naturas inconfuse, incommunicabiliter, indivise, et inseparabiliter, in unam personam atque subsistentiam concurrere*. . . Et 4.° Theodoretus Cyrensis, et Ibas Edessenus, qui in Conciliabulo Ephesino à Dioscoro fuerant depositi tanquam nestoriani, fuerunt in suas Sedes restituti, postquam dixerunt: *Anathema Nestorio*, et subscripserunt definitioni fidei, et epistolæ S. Leonis. . . . Hoc concilium est perfecte *æcumenicum*, à S. Leone approbatum.

Q. 6. Quodnam est concilium generale quintum? *R. Constantinopolitanum II.* ann. 553. à Justiniano seniore, annuente S. P. Vigilio, convocatum. . . . In eo 1.° errores Origenis damnati sunt. . . . 2.° Damnatus est Theodorus Mopsuestenus, et ejus anathematismi adversus S. Cyrillum. . . . 3.° Damnata, et anathematizata sunt scripta Theodoreti, et Ibæ Edesseni epistola ad Marium Persam; sed personis eorum, quæ susceptæ erant à concilio Chalcedonensi, nulla inusta est nota. . . . Est perfecte *æcumenicum*, probatum à Vigilio Papa, ac à Leone II.

Q. 7. Quodnam est concil. generale VI. *R. Constantinop. III.* an. 681. à Constantino Pogonato, annuente S. P. Agathone, convocatum. . . . In eo 1.° damnati sunt monothelitæ cum sua hæresi. . . . Et 2.° definitum est,

Digitized by Google

esse in Christo *duas naturales voluntates, et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, et inconfuse*... Est perfecte *œcumenicum*, approbatum à S. P. Agathone.

Q. 8. Quodnam est concil. generale VII. *R. Nicænum* II. an. 787. à Constantino et Irene ejus matre, de expresso Adriani I. consensu convocatum.... In eo fuerunt damnati iconomachi, hoc est, imaginum effractores, restitutusque est usus, et cultus sacrarum imaginum.... Est perfecte *œcumenicum*, approbatum ab Adriano Papa.

Q. 9. Quodnam est concil. generale VIII.? *R. Constantinop.* IV. an. 869. à Basilio Imperatore, de expresso Adriani II. consensu convocatum... In eo 1.° Photius, qui, expulso D. Ignatio à sede Constantinopolitana, illam invaserat, fuit depositus, et D. Ignatius restitutus.... Et 2.° Varii conditi sunt canones ad disciplinam spectantes.... Est perfecte *œcumenicum*, ab Adriano II. approbatum.

Q. 10. Quodnam est concil. generale IX. *R. Lateranense* I. ann. 1123. à Calixto II. tempore Henrici IV. Imperatoris, convocatum... In eo 1.° Henricus IV. dimisit Ecclesiæ omnem investituram per annulum et baculum tradendam; possessiones Ecclesiæ ablatas restituit; promisitque, se electiones et consecrationes omnino liberas relictu-

Digitized by Google

rum... 2.° Concessum est Henrico IV. ut se præsentem sisteret electionibus, quæ in suo imperio fierent, atque ut electis *Regalia* per Sceptrum regium daret, nunquam per baculum et annulum... 3.° Actum est de expeditione pro recuperatione terræ sanotæ... Et 4.° Varii editi sunt canones pro restauranda disciplina ecclesiastica.... *Œcumenicitas* hujus concilii certa est apud omnes.

Q. 11. Quodnam est concil. generale X. *R. Lateranense II.* an. 1139. ab Innocentio II. convocatum, ad tollendum schisma per *Petrum Leonem* in Ecclesia factum.... 1.° In eo concilio, *Petri Leonis*, aliorumque schismaticorum acta sunt rescissa.... 2.° Damnati sunt hæretici, *Petrus de Bruis*, et *Arnaldus de Brixia*, cum eorum hæresibus... Et 3.° ad disciplinam restituendam varii conditi sunt canones, inter quos canon *Si quis suadente diabolo*, est præcipuus. *Œcumenicitas* hujus concilii certa est apud omnes.

Q. 12. Quodnam est concil. gener. XI? *R. Lateran. III.* an. 1179. ab Alex. III. convocatum ad tollendum schisma in Ecclesiam invectum per cardinalem Octavianum... 1.° In eo, ad vitanda in posterum schismata, statutum est, nullam deinceps Papæ electionem fore canonicam, nisi duæ partes cardinalium ad eam conspirent... 2.° Ordinationes ab anti-papis celebratæ, irritæ (quoad usum) declaratæ

Digitized by Google

fuerunt, et collationes beneficiorum nullæ... 3.° Damnati sunt Waldenses et Albigenses... Et 4.° canones circa disciplinam fuere conditi, maxime ad usuram et simoniam confodiendas... *Œcumenicitas* hujus concilii est certa apud omnes.

Q. 13. Quodnam est concil. generale XII.? *R. Lateranense* IV. anno 1215. ab Innocentio III. convocatum. . 1.° In eo damnatus est liber, quem Abbas Joachim scripsit contra Petrum Lombardum.... 2.° Damnata sunt impia et stulta dogmata *Almarici de Bena*, qui transubstantiationem negabat... 3.° Statuta est expeditio pro recuperatione terræ sanctæ... *Et demum* inter varios canones pro morum reformatione celeber ille, qui incipit, *Omnis utriusque sexus*, conditus est. Hujus concilii *œcumenicitas* ita est conspicua, ut quoties in jure can. laudatur concilium Lateranense sine addito, intelligatur concilium Lateran. IV.

Q. 14. Quodnam est concil. generale XIII.? *R. Lugdunense* I. anno 1245. ab Innocentio IV. convocatum, contra Fredericum II. Imperatorem, qui erga Ecclesiam romanam tyrannice se gerebat... 1.° In eo sententia excommunicationis, et depositionis in Fredericum lata est ab Innocentio IV... 2.° Renovatum est decretum pro expeditione contra Turcas facienda... Et 3.° varii conditi sunt canones disciplinam spectantes. . Hoc

Digitized by Google

conc. est perfecte *œcumenicum*, approbatum ab Innocentio IV.

Q. 15. Quodnam est concil. generale XIV.? *R. Lugdunense* II. an. 1274. à Gregorio X. convocatum... 1.° In eo definitum est, Spiritum sanctum à Patre, Filioque procedere, tanquam ex uno, non autem tanquam ex duobus principiis... 2.° Damnati sunt, qui de novo *regalia* usurpabant, et qui hæc fieri procurabant... *Et demum* græcis promissa fuit decima pars bonorum ecclesiasticorum pro terræ sanctæ expeditione.... *Œcumenicitas* hujus concilii est indubia.

Q. 16. Quodnam est concil. generale XV.? *R. Viennense*, anno 1311. à Clemente V. convocatum... In eo 1.° templariorum ordo fuit penitus extinctus... 2.° Damnati sunt Fraticelli, Dulciniistæ, Beguardi, et Beguinæ... 3.° Decreta est nova expeditio pro recuperatione terræ sanctæ.... *Et tandem* editæ sunt variæ constitutiones pro morum reformatione, quæ in jure, *Clementinæ* dicuntur.... *Œcumenicitas* hujus concilii constat apud omnes.

Q. 17. Quodnam est concil. generale XVI.? *R. Pisanum*, an. 1409. ad extinguendum schisma, quod in Ecclesia excitaverant *Angelus Corarius*, Gregorius XII. dictus, et *Petrus de Luna*, Benedictus XIII. nuncupatus, convocatum ab utriusque obedientiæ cardinalibus, quibus præerat *Cardinalis Pi-*

Digitized by Google

ctaviensis, utriusque obedientiæ decanus... In hoc concilio duo de Papatu contendentes, post trinam de jure citationem non comparentes, velut contumaces et perjuri fuerunt depositi; atque in eorum locum fuit suffectus *Alexander v.* qui decreta concilii approbavit; ideoque est *œcumenicum*.

Ordinarie tamen non recensetur inter concilia œcumenica, quia in eo schisma fuit sopitum, non extinctum: nam Alexandro v. uno post sui electionem anno, Bononiæ mortuo, in ejus locum electus est *Balthasar Cossa*, dictus *Joannes XXIII.* sicque, cum Greg. XII. et Benedictus XIII. decreto concilii Pisani non parerent, tres nomine visi sunt Pontifices in Ecclesia, indeque auctum schisma, quod à 30. annis Ecclesiam dissecabat.

Q. 18. Quodnam est concil. generale XVII. *R. Constantiense*, anno 1414. à Joanne XXIII. ad extinctionem schismatis, et grassantium variarum hæresium damnationem, convocatum. In hoc concilio 1.° damnati sunt 45. articuli Joan. Wicleffi presbyteri Angli; et 31. articuli Joan. Huss... 2.° Hieronymus de Praga, tanquam fautor articulorum Wicleffi, et Huss traditus est brachio sæculari, à quo vivens exustus est... 3.° Pronuntiata est sententia depositionis in *Joannem XXIII.* qui sententiæ acquievit... 4.° Admissa est, unanimi consensu, *Gregorii XII.* resigna-

Digitized by Google

tio. 5.° *Benedictus XIII.* è Pontificatu fuit depositus, tanquam contumax, et schismatis fautor. . . *Et demum Martinus V.* fuit electus.

Q. 19. Utrum hoc conc. sit œcumenicum? *R.* 1.° Aliqui volunt illud esse partim legitimum, partim illegitimum; legitimum nempe in iis sess. in quibus damnati sunt errores Joan. Wicleffi, et Joan. Huss: illegitimum vero in iis sess. in quibus definiit, S. Pontificem esse concilio inferiorem. Quia istæ sessessiones habitæ sunt ab iis solis, qui erant de obedientia Joan. XXIII. qui jam è concilio recesserat. Unde non sunt habitæ *conciliariter*; atqui *Martinus V.* ea solum decreta approbavit, quæ facta sunt *conciliariter, et non aliter, nec alio modo*: ergo.

R. 2.° Aliqui vero docent, concilium esse perfecte legitimum, decretumque, quod, sess. 4. et 5. fuit editum, spectare quamlibet Synodum generalem; atque absolute definire, *quemlibet cujuscumque dignitatis, etiamsi papalis existat, debere obedire concilio. R.* 3.° Alii tandem docent, concilium esse perfecte legitimum; sed decretum sess. 4. et 5. editum, non esse *absolutum*, sed *restrictum* ad illud concilium, quod tempore schismatis celebratur, quando scilicet nullus est Papa indubius.

Q. 20. Quodnam est concilium generale XVIII.? *R. Basileense*, à Martino V. convo-

Digitized by Google

catum, quæ convocatio ab Eugenio IV. qui Martino successit, confirmata est. Cœpit anno 1431.

Q. 21. Quænam gesta sunt in hoc concilio? *R.* 1.° Sessio prima habita est sub *Juliano* Eugenii IV. legato... 2.° Eugenius, post hanc sessionem, Julianum legatum revocavit, concilium dissolvit, et aliud Bononiæ celebrandum indixit.... 3.° Non obstante hac dissolutione, patres Basileenses, sub præsidentia *Ludovici Alemanni*, card. et episcopi Arelatensis, continuaverunt sessiones, in quarum 1.ª et 2.ª definierunt, concilium esse supra Papam... 4.° Citarunt Eugenium *sess. 12.* atque oraverunt, ut dissolutionem concilii revocaret, quam pro bono pacis irritavit, concilii continuationem approbavit, atque legatos iterum misit ad concilium....

5.° Concilium *sess. 18.* iteravit decretum de concilii supra Papam superioritate; quam ob causam legati Eugenii II. discessere, ac *Eugenius* concilium transtulit Ferrariam ann. 1437. quod transiit cum majori parte patrum Basileensium... *Et demum* patres, qui Basileæ remanserunt, continuaverunt concilium à sess. 25. ad sessionem 45. in quibus irritaverunt bullas translationis concilii, definierunt, superioritatem concilii supra Papam esse veritatem fidei divinæ, atque deposuerunt *Eugenium IV.* in cujus locum

Digitized by Google

elegerunt *Amedeum*, Ducem Sabaudiæ, cui *Felicis v.* nomen imposuerunt, et qui paulo post, ad pacem Ecclesiæ dandam, abdicavit.

Q. 22. An concilium Basileense sit legitimum? *R.* 1.° Conveniunt omnes, illud non fuisse legitimum, sed degenerasse in merum conciliabulum à sess. 25. usque ad ultimam. *R.* 2.° Circa alias sessiones duplex est sententia: 1.ª quæ propugnatur in Italia, Hispania, Germania, &c. docet, concil. Basileense post primam sessionem factum, fuisse illegitimum, nec á *Nicolao v.* fuisse confirmatum, nisi in iis solis, quæ definita fuerant circa beneficia, et censuras ecclesiasticas; in aliis vero fuisse reprobatum, tum ab *Eugenio IV.* tum à concilio Florentino, et Lateranensi v. in quo vocatur *Conciliabulum omni robore carens.*

2.ª Quæ in Gallia propugnatur, docet, concilium illud fuisse legitimum à 1.ª sess. usque ad 25. quia fuit approbatum à *Nicolao v.* Non tamen admittitur ab omnibus; nam ipse Duvallius, doctor Parisiensis, loquens de hoc concilio, ait: *Hoc concilium pro beneficiorum pragmaticis tantum recipitur: nec unquam Pontificis calculo, qui ad conciliorum firmitatem et valorem est necessarius, fuit confirmatum.*

Q. 23. Quodnam est concilium generale XIX.? *R.* *Florentinum*, ab Eugenio IV. ad

Digitized by Google

unionem græcorum cum latinis convocatum, an. 1438. in eo definitum est, 1.° Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere... 2.° Corpus Christi veraciter confici, sive in azimo, sive in fermentato pane triticeo... 3.° Animas, quibus aliquid luendum superest, in purgatorio detineri, ipsisque prodesse vivorum suffragia... *Et tandem* S. Pontificem in universum orbem tenere primatum, &c... Est perfecte *œcumenicum*, ut declarat *Eugenius IV.* dicens, suum decretum editum fuisse, *sacro approbante œcumenico concilio Florentino.*

Q. 24. Quodnam est concil. generale XX? *R. Lateranense V.* an. 1512. à Julio II. convocatum, ad præveniendum schisma in Ecclesia imminens per conciliabulum, quod aliqui cardinales *Pisis* contra *Julium* convocaverant... Huic concilio præfuit *Julius* usque ad 4. sessionem, quo defuncto, in 5.ª sessione, cui præfuit cardinalis Ostiensis, electus est Leo X. qui cæteris præfuit.

In hoc concilio 1.° conciliabulum *Pisanum* fuit reprobatum: 2.° actum est de pace componenda inter principes christianos: 3.° montes pietatis fuerunt approbati: 4.° publicata fuit pragmaticæ sanctionis abrogatio, et pacta inter Leonem X. et Franciscum I. Regem Galliæ concordata, in locum pragmaticæ substituta: *Et demum* à Leone X. speciali diplomate fuit confirmatum... *œcume-*

Digitized by Google

nicitas hujus concilii certa est in toto orbe christiano, dempta Gallia: quia senatus, et academia Parisiensis, approbante clero Gallicano, appellationem ab isto concilio ad aliud futurum generale interjecerunt, propter abrogatam pragmaticam.

Q. 25. Quodnam fuit concilium generale XXI.? *R. Tridentinum*, anno 1545. à Paulo III. ad damnandos errores Lutheri et Calvini, convocatum... multa in hoc concilio circa fidem, mores, et disciplinam fuerunt tractata, et definita, quæ hic recensere vanum foret, cum hoc concilium omnium manibus teratur.

Q. 26. Utrum concil. Trid. sit œcumenicum? *R.* Est perfecte *œcumenicum*, quia legitime fuit convocatum, celebratum, et à *Pio IV.* confirmatum bulla singulari, qua illud recipi, et ab omnibus observari mandatur.

Dices: Non est receptum in Gallia: *ergo*, &c. *R. Dist.* Quoad aliqua disciplinæ decreta, quæ regni juribus et consuetudinibus, ex veterum canonum præscripto servari solitis, adversantur, *conc.* quoad fidem, mores, et cætera disciplinæ decreta, *nego ant.* Nam fuit receptum non solùm in conciliis provincialibus, sed maxime in comitiis cleri generalibus habitis Lutetiæ Parisiorum, *anno* 1615.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De Locis extrinsecis Theologiæ.

Q. 1. Quanta est doctorum scholasticorum auctoritas ad faciendam fidem? *R.* Distinguendum est: *Si alii scholastici dissentiant*, etiam in minori numero, non majoris est ponderis eorum auctoritas, quam rationes, quibus nituntur: unde expendendæ sunt, et ponderandæ eorum rationes: *Si communiter unam opinionem teneant*, eorum auctoritas argumentum subministrat ita probabile, ut absque temeritate non possit rejici: quia in qualibet arte peritis credendum esse, ratio demonstrat: *Si unanimiter in unum dogma consentiant*, tanta est eorum auctoritas, ut ei contradicere, si non erroneum, saltem errori proximum sit: quia plusquam probabile testimonium est, sic ferre traditionem, ut docet Canus (*l. 8. de locis, cap. 4.*)

Q. 2. An ratio naturalis certa theologo possit suppeditare argumenta? *R.* Certa subinde argumenta subministrat; nam ex hoc principio: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*: certo concludit, ergo *non furandum*, &c. sed non subministrat argumenta theologica, cum conclusio theologica ex una saltem prop. revelata deduci debeat. Est tamen theologo utilis, imo et necessaria, quia abs-

Digitized by Google

que ea non potest *exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere.* Ratio tamen semper subjicienda est revelationi, velut ancilla, quæ *subserviat fidei*, ait D. Thom. (*1. p. q. 1. art. 8. ad 2.*)

Q. 3. An philosophorum placita certa theologo argumenta sufficere possint? *R.* Non posse, nisi firma, ac demonstrativa ratione fulciantur; unde eorum auctoritas ex eorum rationibus pensanda est.

Q. 4. Quodnam argumenti genus subministrant historici fide digni? *R.* Distinguendum est: *Si plures historici fide digni aliquod factum enarrent*, probabile argumentum suppeditant: quia imprudens est, qui pluribus fide dignis non adhibet fidem: *Si omnes historici fide digni aliquod factum, nullo contradicente, enarrent*, subministrant argumentum certum; quia de facto, quod ab omnibus probatis ac fide dignis historicis, nullo contradicente, refertur, nemo, nisi insipiens sit, dubitare potest.

Q. 5. Quænam conditiones requiruntur, ut historicus censeatur omni fide dignus? *R.* Hæ tres 1.ª ut sit rei, quam enarrat, coætaneus: 2.ª ut nunquam fuerit deceptus: et 3.ª ut ipsius non intersit, quod facta sic extiterint, quomodo ab eo referuntur.

Digitized by Google

DISSERTATIO III.

De Propositionum Censuris.

Q. 1. Quot modis propositiones pravæ damnari solent ab Ecclesia? *R.* Duobus 1.° *In particulari*, quando Ecclesia suas singulis notas tribuit: et 2.° *in globo*, quando omnes simul damnantur, tanquam falsæ, perniciosæ, &c. nulli suam notam particularem assignando. Quoquo modo autem damnentur, sunt judicia Ecclesiæ dogmatica, quæ à fidelibus mentis obsequium exigunt.

Q. 2. Quid est propositio hæretica? *R.* Est ea, quæ formaliter et directe adversatur propositioni explicite revelatæ, vel implicite revelatæ, et ut tali ab Ecclesia definitæ.

Q. 3. Quid est propositio erronea? *R.* Est ea, quæ opponitur veritati, quam vel universa tenet Ecclesia, quamvis non sit de fide, vel communis doctorum catholicorum sententia mediate revelatam judicat, licet ab Ecclesia id nondum expresse fuerit definitum.

Q. 4. Quid sunt propositiones, hæresi proxima, suspecta de hæresi, et hæresin sapiens? *R.* Prop. hæresi proxima est ea, *quæ maxima cum probabilitate judicatur hæretica:* Suspecta de hæresi, *quæ, licet aliquo sensu tolerari possit; tamen magna cum pro-*

Digitized by Google

babilitate judicatur hæretica: et prop. hæresin sapiens est ea, *quæ majori cum probabilitate, quam suspecta de hæresi, judicatur hæretica.*

Q. 5. Quid sunt propositiones, schismatica, seditiosa, hæresi, aut schismati favens, blasphema, et quid propos. impia? *R.* 1.ª Est ea, quæ fideles ab obedientia summo Pontifici, aliisque superioribus ecclesiasticis debita, retrahit: 2.ª Quæ per se nata est subditos ad rebellionem contra Principes civiles inducere: 3.ª Qua hæretici, aut schismatici uti possunt ad suos errores, vel suam inobedientiam propugnandam: 4.ª Quæ Deo, vel sanctis est injuriosa: *Et demum* propos. impia est ea, quæ cultum Deo debitum minuere de se nata est.

Q. 6. Quid sunt propositiones, scandalosa, perniciosa, captiosa, et quid propos. male sonans? *R.* 1.ª Est ea, quæ per se nata est proximum inducere ad peccatum: 2.ª Qua facile possunt deduci conclusiones contra fidem, aut bonos mores: 3.ª Quæ sub pietatis specie venenum obtegens, apta est simplicium mentes seducere: *Et demum* prop. male sonans est ea, quæ licet duplicem habeat sensum, unum bonum, et alium malum, absolute tamen, et sine distinctione profertur.

Q. 7. Quid sunt propositiones, piarum aurium offensiva, temeraria, falsa, et quid prop.

Digitized by Google

verbo Dei contraria? *R.* 1.ª Est ea, quæ aliquid indecorum de Deo, aut de eius sanctis profert: 2.ª Quæ, absque ullo aut scripturæ, traditionis, aut rationis theologicæ fundamento, à communi theologorum sententia recedit: 3.ª Quæ factum aliquod, quod ad fidem pertineat, eique nocere possit, veritati contrarium annuntiat: *et tandem* prop. verbo Dei contraria est ea, quæ, licet contraria scripturæ et traditioni, nondum tamen est proscripta ab Ecclesia.

Q. 8. Quid intelligitur per adverbium respective, cum in decreto, in quo plures propositiones damnantur, dicitur, eas esse respective hæreticas, erroneas, &c. *R.* Hæc particula *respective* significat, nullam esse ex damnatis propositionibus disjunctive, in quam non cadat una saltem ex notis, quæ in condemnationis decreto referuntur.

Digitized by Google

TRACTATUS II.

DE DEO UNO.

In Deo, prout est unus, considerari possunt: 1.° Existentia: 2.° Essentia: 3.° Attributa generatim: et 4.° Attributa speciatim.

DISSERTATIO I.

De Existentia Dei.

Quæres 1. An detur in nobis idea de Deo innata, seu ingenita? *R. Affirm.* Quia sæpe cogitamus de ente, quod est à se, et est causa aliorum entium; unde Deum naturaliter confitemur, cum clamamus: *O Deus, &c. Deus videt, &c. Deo commendo, &c.* ut ait D. Cyprianus (*lib. de idolorum vanitatibus*): ergo est in nobis idea Dei; *atqui* illa idea non est *factitia*; mens enim nullam ex sese potest cudere imaginem entis infiniti, cum et ipsa, et omnia quæ videt, sint finita: nec est *adventitia*, id est, ex rebus sensibilibus efformata, quia universitas rerum sensibilium est quid maxime finitum, ex quibus proinde non potest erui idea entis infiniti: *ergo* restat, ut idea, quam habemus de Deo, sit innata.

Digitized by Google

Obj. Plures fuerunt athei: *ergo* non habemus de Deo ideam innatam. *Dist. ant.* Fuerunt athei, *practice*, seu cordis, *conc. speculative*, seu mentis, *nego*. Atheus *practice* dicitur is, qui libidine excæcatus, ita perdite vivit, ac si non esset Deus, quem vellet non esse; multos esse tales, confitemur. Atheus *speculative* dicitur is, qui omnem divinitatis sensum deponit; tales autem fuisse, ac esse, prorsus negamus.

Inst. Dei existentia demonstratur: *ergo* non habemus de eo ideam innatam. *Neg. conseq.* Multiplici enim via cognosci potest existentia Dei, et per ideam ab ipsa origine menti impressam, et per multiplicem è creaturis petitam demonstrationem.

Q. 2. Utrum hæc propositio, Deus est, sit per se nota quoad se? *R. Affirm.* Quia prædicta propositio est ea, cujus prædicatum est de essentia subjecti; *atqui* in hac prop. *Deus est*, prædicatum, nempe existentia, est de essentia subjecti, nempe Dei: *ergo*, &c.

Q. 3. Utrum hæc prop. Deus est, sit per se nota quoad nos? *R. Affirm.* Nam dicta propositio est ea, cujus veritas nobis attendentibus innotescit statim, atque intelligimus terminos, quibus constat; *atqui* termini hujus propositionis, *Deus est*, non possunt perfecte intelligi, quin simul intelligatur, prædicatum, nempe, existentiam, subjecto, sci-

Digitized by Google

licet Deo, essentialiter convenire, et hoc sine ullo medio à priori: *ergo.* Nam per hanc vocem *Deus* intelligitur ens perfectissimum, quo nihil melius, aut esse, aut cogitari potest; ac proinde ens, quod habet realem existentiam, quæ est omnium perfectionum prima; si enim eam non haberet, aliud eo perfectius cogitari posset, ens nimirum, cui realis existentia conveniret.

Obj. Hæc propositio, *Deus est*, potest demonstrari: *ergo*, &c. *Dist. ant.* Potest demonstrari à posteriori, *conc.* à priori, *nego ant.* Equidem propositio per se nota quoad nos non potest demonstrari à priori; sed potest fieri, quod illius subjectum habeat aliquos effectus, per quos illius existentia possit *à posteriori* demonstrari.

Q. 4. Utrum existentia Dei possit demonstrari à priori? *R.* Non potest; quia demonstratio à priori est ea, quæ fit per causas rei, quæ demonstratur; *atqui* Deus nullam habet suæ existentiæ causam, cum sit *ens à se*: ergo, &c.

Q. 5. Utrum existentia Dei possit demonstrari à posteriori? *R. Affirm.* Quia potest demonstrari per effectus, creaturas nimirum; siquidem creaturæ sunt effectus Dei, à quo necessario pendent *in esse, in conservari, et in gubernari*: ergo, &c. Unde demonstrativum est hoc argumentum: *Creaturæ existunt*: *ergo Deus existit.*

Digitized by Google

Obj. 1.° Existentia Dei est objectum fidei supernaturalis: *credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est*, ut dicit Apost. (*ad Hebr. 12.*): ergo non potest demonstrari. *Prob. conseq.* Scientia et fides non possunt esse simul in eodem intellectu de eodem objecto: *ergo* objectum fidei non potest demonstrari. *Dist. ant.* Non possunt esse, &c. per idem motivum, *conc.* per diversa motiva, *nego.* Nam Dei existentia creditur propter summam Dei revelantis veracitatem; et evidenter cognoscitur propter necessariam connexionem, quæ concipitur inter creaturas existentes et earum Creatorem, quæ duo motiva sunt valde distincta.

Obj. 2.° Medium demonstrationis debet esse necessarium; *atqui* creaturæ non sunt necessariæ: *ergo*, &c. *Dist. maj.* Debet esse necessarium hypothetice, et quoad necessariam connexionem cum re demonstrata, *conc.* absolute et quoad existentiam, *nego maj.* Porro ex hypothesi quod creaturæ existant, necessariam habent cum Deo, à quo dependent, connexionem: *ergo* dependentia earum non est contingens, sed necessaria. *Inst.* Omnis demonstratio fit ex prioribus; *atqui* creaturæ non sunt Deo priores: *ergo*, &c. *Dist. min.* Non sunt Deo priores, existentia, *conc.* cognitione, *nego min.* Hoc autem requiritur, et sufficit ad veram demonstrationem.

Digitized by Google

Obj. 3.° Per creaturas non potest demonstrari essentia Dei: *ergo* nec illius existentia, cum qua est unum, et idem. *Dist. ant.* Non potest demonstrari, quid, et qualis sit, *conc.* quod sit, seu existat, *nego ant.* Sic licet demonstrari non possit, in quo posita sit essentia solis, recte tamen ex effectibus solis demonstratur illius existentia.

Q. 6. Quibus argumentis potest demonstrari existentia Dei? *R.* Inter varia, quæ à theologis afferuntur, quatuor refero. I. *Petitur ex ente necessario, et contingenti,* quod sic proponitur: necesse est, ut, in rerum natura, existat aliquod ens necessarium, aliàs omnia entia essent contingentia, quæ, nimirum, potuissent existere, aut non existere, quod est absurdum. Nam si quæcumque existunt, potuerint existere, aut non existere, posset supponi ea de facto non existere; *atqui* supponi non potest ea non existere, tunc enim essent possibilia et non essent; essent possibilia, quia omne contingens est possibile; non essent possibilia, quia nullum ens necessarium existeret, à quo illa producerentur: *ergo* necesse est, ut sit ens omnino necessarium.

Obj. 1.° Materia hujus universi est necessaria: *ergo* ex ente necessario non potest demonstrari existentia Dei. *Neg. ant.* Nam ens necessarium habet ex necessitate suæ naturæ, quod sit infinitum in omni genere per-

Digitized by Google

fectionis; *atqui* materia non est talis: 1.° quia est iners et otiosa: 2.° quia est mutabilis tum quoad existentiam, aliàs esset à se; tum quoad existendi modum, cum sit infinitarum modificationum susceptiva: *ergo.*

Obj. 2.° Licet singula entia sint contingentia; tota nihilominus eorum collectio est necessaria: *ergo*, &c. *Neg. ant.* Nam ens necessarium, quod probamus, debet esse infinite perfectum, et consequenter simplicissimum; *atqui* supradicta collectio non est simplicissima: à suis enim partibus componentibus pendet ut sit, quod est maxima imperfectio: *ergo.*

II. *Petitur ex necessitate primæ causæ effectricis, et primi moventis immobilis*, quod sic proponitur: necessè est, ut in rerum natura existat ens aliquod improductum, et primum movens immobile: nam si omnia entia producta fuissent ac mota, tunc saltem unum ex illis seipsum produxisset, ac movisset, quod est absurdum. Nam si seipsum produxisset, fuisset seipso prius et posterius; causa enim est prior suo effectu; et effectus sua causa posterior. Si seipsum movisset, sive ad esse, sive ad locum, fuisset secundum idem simul in potentia et in actu: in potentia quidem, quatenus potuisset recipere motum; in actu autem, quia seipsum movisset, quæ omnia sunt contradictoria: *ergo* datur prima causa improducta aliarum

Digitized by Google

effectrix, et primum movens omnino immobile, à quo moveantur cætera, quæ moventur; *atqui* illa prima causa, illud primum movens, est Deus: *ergo* datur Deus.

Obj. 1.° Materia est improducta, et æterna: *ergo* non potest probari existentia primæ causæ. *Neg. ant.* Quod non solum repugnat fidei, sed etiam rationi, quæ dictat, ens æternum, et improductum esse infinitum, cum à nulla causa limitari potuerit; *atqui* materia est finita, loco circumscripta, et maximè iners et otiosa: *ergo.*

Obj. 2.° Dantur entia, quæ nullum habitura sunt finem: *ergo* et entia, quæ nullum habuerunt initium. *Neg. conseq.* Disparitas est, quod ens non habens suæ existentiæ initium, sit à se, et plane independens, quod repugnat creaturæ; sed ens, quod non habiturum est finem, semper pendet à suo conditore, qui, sicut illud ex nihilo libere creavit, ita illud in nihilum potest redigere.

III. *Petitur ex mirabili mundi hujus fabrica;* sicque proponitur: opus, in quo reperitur totius naturæ ordo ita sapiens, ut nullus pulchrior; ita constans, ut nullus constantior inveniri queat; à suprema quadam mente et intelligentia sapientissima prodiit, regitur et ordinatur; *atqui* talis est tota mundi hujus machina: *ergo* à suprema quadam intelligentia prodiit, &c.; *atqui* illa intelligentia est Deus: *ergo*, &c.

Digitized by Google

Obj. Universum hoc regitur à sola natura, quæ uno cursu, et ordine semper eadem agit; v. g. nox semper eodem cursu succedit diei, æstas veri, &c. homines semper eodem modo nascuntur, et moriuntur, &c. *ergo* non datur illius intelligens moderator. *Neg. ant.* Nam quod illa ita regulariter sibi succedant, hoc habent ab ipso Deo auctore naturæ, cui placuit ipsi naturæ regulas permanentes statuere, à quibus per seipsam non potest recedere. Porro *hic ordo facile turbaretur, nisi maxima ratione consisteret*, ait Minutius Felix in Octavio.

IV. *Petitur ex communi hominum sensu*, sicque proponitur: quod omnes homines unanimi et constanti consensu existere fatentur, illud certissime existit, ait Cicero; *atqui* populi, quotquot unquam extiterunt, omnes unanimi consensu Deum existere fatentur; nam *Persa, Gothus, Ægyptius, Turca ipsum agnoscunt.... et totius mundi una vox est, Deus est*, ait D. Hieron. epist. ad Nepotian.

Q. 7. Utrum Deus possit invincibiliter ignorari? *R.* Non potest: nam illius existentia à nemine rationis compote potest invincibiliter ignorari, cujus idea nobis est ingenita, cujus existentia invictissimis argumentis demonstrari potest; *atqui*, &c. Præterea ignorantia excusat à peccato; *atqui* ignorantes Deum dicuntur *inexcusabiles*, ut ait Apost.

Digitized by Google

(*ad Rom. 1.*) ac gravissime puniuntur, uti dicitur: *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt* (*in Psalm. 78.*) per hæc verba.

Obj. Ignorantia Dei non potest superari nisi per discursum, ex creaturarum scilicet existentia colligendo existentiam creatoris; *atqui* multi sunt barbari ita agrestes, ut non sint hujusmodi discursus capaces: ergo. *R.* 1.° *Nego maj.* Quippe omnibus innata est Dei idea, ita ut, ad illius cognitionem sola attentione ad conscientiæ testimonium opus sit. *R.* 2.° *Neg. min.* Nemo enim est ita stupidus, qui ex creaturis non eruat cognitionem, saltem probabilem, quod in hoc universo sit supremus aliquis gubernator, cui sit parendum, qualiscumque tandem ille sit: hoc enim ipso tenetur inquirere, quis ille sit, et qua ratione colendus.

Inst. Puer in sylvis educatus, postquam usum rationis adeptus est, indiget aliquo temporis intervallo, ut ex idea sibi indita, et ex creaturis concludat existentiam Dei: *ergo* illo saltem brevi tempore potest Deum invincibiliter ignorare. *Neg. ant.* Quia tam clarum est de Deo conscientiæ testimonium, tam evidens est creaturarum cum creatore connexio, ut si ad ea, ut par est, attenderit, ne momento quidem esse queat sine cognitione Dei, si non statim demonstrativa, saltem probabili, et moraliter certa.

Digitized by Google

Q. 3. Utrum sit unicus Deus? *R.* Est unus tantum, ut declaratur (*Marci* 12.) ubi dicitur: *Unus est Deus, et non est alius præter eum.* Ratio est, quia Deus est ens summe magnum; *atqui* non possunt esse duo entia summe magna; nam esse *summe magnum* ex Tertull. est parem non habere: *at* parem non habere ita uni competit, ut nullo modo possit duobus competere: *ergo*, &c.

Obj. 1.° *In Psalm.* 81. dixit Deus: *Ego dixi, dii estis:* ergo sunt plures dii. *R.* Sunt plures dii improprie, et participative, non proprie, et natura. Psalmista enim loquitur de judicibus, quos vocat deos propter auctoritatem judicandi populum, quam à Deo participant.

Obj. 3.° Sunt duo prima rerum principia, unum bonum boni, aliud malum mali: *ergo* sunt duo dii. *Neg. ant.* Nam effectus diversi, et oppositi, non arguunt diversitatem causæ primæ, quæ, cum sit infinitæ virtutis, quoslibet effectus producere potest, sive similes, sive dissimiles, sive etiam contrarios. Malum ergo culpæ non potest esse à Deo, quia non est effectus, sed defectus; sed malum pœnæ est à Deo, qui illud in ultionem criminum infligit: porro sic consideratum, rationem boni induit.

Obj. 3.° Sunt tres in Deo personæ: *ergo* et tres dii. *Neg. conseq.* Quia ad deorum multiplicitatem satis non est multiplicitas

Digitized by Google

personarum; sed præterea requiritur naturæ in pluribus personis multiplicatio; *at* tres personæ in Deo habent eandem numero naturam: *ergo*, &c.

DISSERTATIO II.

De Natura, seu essentia Dei.

Q. 1. Quid intelligitur per Dei essentiam? *R.* Aliqua Dei perfectio, quæ concipitur tanquam gradus constitutivus essentiæ divinæ, seu tanquam differentia essentialis naturæ divinæ.

Q. 2. Quot in gradu constitutivo alicujus essentiæ requiruntur conditiones? *R.* Quatuor: 1.ª Ut sit quid *proprium* illi soli rei, quam constituit, et à qualibet alia distinguit... 2.ª Ut sit quid *primum* in ipsa re, nec ab alio præsupposito derivatum... 3.ª Ut sit *fons* et *radix* aliarum proprietatum, quæ in illa re reperiuntur... 4.ª Ut sit quid *adæquatum rei*, ita ut totum id complectatur quod est de conceptu rei quidditativo.

Q. 3. Quot sunt theologorum circa Dei essentiam sententiæ? *R.* Quatuor: 1.ª est *Thomistarum*, quorum alii pro gradu constitutivo essentiæ divinæ assignant intellectionem radicalem, seu facultatem intelligendi; alii communius intellectionem actualem... 2.ª est *Nominalium*, quibus placet, essentiam di-

Digitized by Google

vinam constitui per collectionem omnium perfectionum in Deo. 3.ª est *Scotistarum*, qui eandem collocant in infinitate radicali... 4.ª est aliorum omnium, qui docent essentiam Dei in aseitate, seu in omnimoda ab alio independentia, collocandam esse.

Q. 4. Utrum essentia Dei posita sit in intellectione radicali, aut actuali? *R.* In neutra posita est: 1.° enim neutra est *prima* perfectio in Deo, nam utraque supponit naturam à qua fluunt, cum concipiantur per modum operationis, et operatio supponat esse.... 2.° Neutra est radix aliarum Dei perfectionum, quæ enim consequentia? *Deus est intelligens; ergo est infinitus, immutabilis*, &c... 3.° Neutra est conceptus Dei adæquatus: nec enim voluntatem, nec volitionem complectitur, quæ tamen Deo æque essentialis est, ac ipsa intellectio.

Obj. Intellectio actualis est gradus in Deo perfectissimus: *ergo*, &c. *Dist. ant.* Est gradus perfectissimus in genere facultatis, aut actus naturam ipsam constitutam supponentis, *conc.* in genere naturæ, *nego ant.* Nam neque est prima, neque adæquata perfectio, neque radix est aliarum Dei perfectionum.

Q. 5. Utrum essentia Dei posita sit in cumulo omnium perfectionum? *R. Neg.* Quia ille cumulus non est specialis perfectio, nec

Digitized by Google

est *prima*, cum complectatur omnes perfectiones, nec est radix cæterarum, cum, ultra illum cumulum, non sit alia: *ergo*, &c.

Obj. Cumulus omnium perfectionum quacumque speciali perfectione perfectior est: *ergo*, &c. *Dist. ant.* Est perfectior quacumque speciali perfectione, quæ non continet implicite alias omnes perfectiones, *conc.* quæ alias omnes implicite continet, *neg. ant.* Talis est autem *aseitas*, nam *ens à se* nullos perfectionis limites habere potest.

Q. 6. Utrum infinitas radicalis sit formale constitutivum essentiæ divinæ? *R. Negat.* Quia non est perfectio, quæ nobis de Deo cogitantibus, *prima* occurrit; fluit enim ab aseitate; nam si quæratur, *quare Deus sit infinitus?* seu, *quare nullos in perfectione terminos agnoscat?* recte respondetur, *quia est à se*: ergo, &c.

Obj. Infinitas radicalis est fons et radix omnium Dei attributorum; ideo enim est immensus, omnipotens, &c. quia est infinitus: *ergo*, &c. *Dist. ant.* Est fons et radix mediata, et secundaria, *conc.* primaria, *nego ant.* Infinitas enim fluit immediate ab aseitate.

Q. 7. Utrum gradus constitutivus essentiæ divinæ sit aseitas? *R. Affirm.* Nam 1.° Deus ipse suam essentiam per aseitatem expressit: quærenti nimirum Moysi *quis esset*, Deus ipse respondit: *Ego sum qui sum;*

Digitized by Google

sic dices filiis Israel: qui est, misit me ad vos... 2.° Aseitas est divinitati maxime *propria*: per eam enim differt, tum à creaturis, quæ sunt essentialiter ab alio tanquam à causa; tum ab attributis divinis, quæ sunt ab essentia tanquam à radice: tum à personis divinis, quæ sunt ab alio tanquam à principio... 3.° Est *prima* perfectio, quæ nobis de Deo cogitantibus, occurrit.... 4.° Est *fons* et *radix* cæterarum Dei perfectionum; nam qui est à se, à nullo limitari potest..... *Et tandem* est adæquata Deo, quia continet formaliter, aut virtualiter omnia, quæ dicuntur quidditative de Dei natura: *ergo*, &c.

Obj. Gradus constitutivus essentiæ divinæ non potest esse negatio; *atqui* aseitas est pura negatio dependentiæ ab alio: ergo. *Dist. min.* Est negatio ratione nominis, *conc.* ratione rei per nomen significatæ, *nego min.* Nam aseitas in se et à parte rei importat positivam plenitudinem omnis esse. *Inst.* Aseitas est communis omnibus Dei attributis: *ergo* non est specialis perfectio. *Nego ant.* intellectum de aseitate quatenus dicit omnimodam ab alio independentiam; aliæ enim perfectiones ab aseitate, fluunt ab ipsa aseitate tanquam à radice.

Digitized by Google

DISSERTATIO III.

De Attributis divinis generatim.

Q. 1. Quid est attributum divinum, et quotuplex? *R.* Divinum attributum est quælibet Dei perfectio, quæ ab essentia divina, tanquam à radice, virtualiter profluere concipitur, et de Deo per modum proprietatis prædicatur. Hæc attributa alia sunt positiva, et alia negativa: alia absoluta, et alia relativa. Attributa *positiva* sunt ea, quæ de Deo aliquam perfectionem affirmant, ut justitia, bonitas, &c. *Negativa*, quæ à Deo aliquam imperfectionem removent, ut infinitas, incomprehensibilitas, &c. *Absoluta*, quæ tribus personis sunt communia; *et demum* attributa *relativa* sunt illa, quæ uni, vel duabus tantum personis sunt propria, ut paternitas, filiatio, &c.

Q. 2. Quotuplex est distinctio? *R.* Duplex, realis, nimirum, et rationis. Distinctio *realis* est negatio identitatis in ipsa re; et hæc est triplex, puta, realis major, minor, et formalis ex natura rei. Distinctio realis *major* reperitur inter duas res separabiles, v. gr. inter corpus, et animam: *minor*, inter rem, et modum eius, v. gr. inter digitum, et huius inflexionem: *et tandem* distinctio *formalis ex natura rei* re-

Digitized by Google

peritur non quidem inter duas res, sed inter rem, et eius formas, seu inter eiusdem rei varias formas independenter ab operatione mentis diversas.

Q. 3. Quid est distinctio *rationis*, et quotuplex? *R.* Illa est negatio identitatis in conceptu, seu est diversitas conceptuum eiusdem rei. Hæc distinctio est duplex, nempe, rationis *ratiocinatæ*, et *ratiocinantis*: 1.ª fit per mentem cum aliquo in re fundamento; sed absque hoc fit 2.ª ut videtur in illo, qui Petrum à Cepha distinguat.

Q. 4. Utrum distinctio, quæ reperitur inter attributa Dei absoluta, ac inter attributa tum absoluta, tum relativa, et essentiam, sit realis, vel formalis ex natura rei? *R.* 1.° Non est *realis*, prout definitum est in concilio Lateran. IV. contra Abbatem Joachim, et in concilio Rhemensi contra Gilbertum Porretanum, his verbis: *Credimus, nullas omnino res, sive revelationes, sive proprietates, sive singularitates, sive unitates dicantur, vel alia hujusmodi, adesse Deo, quæ sint ab æterno, et non sint Deus.* Ratio est, quia de se invicem prædicantur in abstracto, nam *Deus hoc est, quod æternitatem habet, et ipse est æternitas*, ait D. Gregor. (lib. 10. moral. c. 20.) *Non est ergo in eo aliud esse et aliud habere*: ergo non distinguuntur realiter.

R. 2.° Non est *formalis ex natura rei.*

Digitized by Google

Nam 1.° in concil. Florent. definitum est, omnia in divinis esse unum et idem, ubi non obviat relationis oppositio; *atqui* inter attributa absoluta ad invicem comparata, et inter attributa, tum absoluta, tum relativa, ad essentiam divinam comparata, nulla obviat relationis oppositio: *ergo* sunt unum et idem: *ergo* inter ea nulla est distinctio actualis ante mentis operationem... 2.° Quia juxta Scoti sententiam esset in Deo vera realis formalis compositio: nam compositio est distinctorum unio; *atqui* juxta Scoti sententiam est in Deo unio distinctorum distinctione reali formali: *ergo* erit compositio realis formalis; *atqui* talis compositio repugnat summæ Dei simplicitati: *ergo*, &c.

Obj. Attributa divina sunt multa independenter ab intellectu: *ergo* distinguuntur actu formaliter à parte rei. *Dist. ant.* Sunt multa virtualiter, *conc.* actualiter et entitative, *nego ant.* Attributa itaque nihil aliud sunt, quam ipsa essentia divina, quæ licet à parte rei simplicissima sit, multis realiter distinctis æquivalet in ordine ad diversos effectus præstandos, et terminandos: *ergo* non distinguuntur actu ante mentis operationem.

Inst. 1.° Justitia actu et à parte rei non est misericordia; alioquin vera esset hæc prop. *justitia est misericordia*; atqui falsum conseq. *ergo*, &c. *Dist.* Hæc prop. esset vera in sensu reali et identico, *conc.* in

Digitized by Google

sensu virtuali, formali et præcisivo, *nego*. Equidem eadem virtus repræsentata inadæquate ut est principium punitionum, non est formaliter eadem entitas repræsentata inadæquate ut est principium miserationum: verum sic sumuntur prout substant diversis conceptibus propter multiplicitatem virtualem in Deo.

Inst. 2.° Essentia, et attributa diversas habent definitiones: *ergo* et diversas naturas: definitio enim est oratio explicans naturam rei. *Dist. ant.* Habent diversas definitiones inadæquatas, *conc.* adæquatas, *nego ant.* Definitio *adæquata* exponit rem ut est in se; *inadæquata* vero explicat rem prout secundum diversos respectus objicitur menti. Cum ergo natura divina, quæ infinita est, plures habeat respectus, mirum non est, quod per varias definitiones inadæquatas explicetur.

Inst. 3.° De essentia divina, et illius attributis prædicantur contradictoria: nam essentia divina communicatur, personalitas non communicatur: *ergo* distinguuntur formaliter ex natura rei. *R. Transeat ant. et nego conseq.* Quia ad verificanda prædicata contradictoria, sufficit distinctio virtualis... Dixi *Transeat ant.* quia licet communicari, et non communicari sub eodem respectu, sint contradictoria, non sunt tamen contradictoria, si sic prædicentur de eodem sub

Digitized by Google

diverso respectu: porro *communicari* dicitur de natura in se et absolute sumpta. *Non communicari* vero, dicitur de eadem natura, prout est modificata per personalitatem: *ergo* sub diverso respectu communicatur, et non communicatur; ad quod sufficit distinctio virtualis.

Q. 5. Quomodo ergo attributa absoluta inter se, et attributa, tum absoluta, tum relativa, ab essentia distinguuntur? *R.* Distinctione rationis ratiocinatæ: nam distinguuntur per mentem cum fundamento in re, cum sint virtualiter multiplicia; æquivalent enim diversis perfectionibus, quæ actu in creatis distinguuntur.

Obj. 1.° Deus est ens simplicissimum: *ergo* amovet à se omnem distinctionem. *Dist. conseq.* Amovet omnem distinctionem à parte rei, et in se, *conc.* formalem in mente, *nego.* Hæc enim nihil ponit in re: *ergo* non officit simplicitati rei.

Inst. Compositio etiam rationis officit summæ Dei simplicitati; *atqui* distinctio rationis importat compositionem rationis in Deo; nam, posita tali distinctione, erit in Deo distinctorum unio, quod importat compositionem: ergo. *Dist. minor.* Unio distinctorum sese invicem excludentium importat compositionem, *conc.* distinctorum sese invicem includentium, *nego minor.* Porro attributa et essentia in Deo

Digitized by Google

sese invicem includunt. Quamvis enim mens attributa sine essentia concipiat, eam tamen non excludit ab eis, sed ab ea tantummodo abstrahit per diversos conceptus inadæquatos, rem attingendo sub diversis notionibus: qui conceptus non sunt falsi: tum quia *abstrahentium non est mendacium*; tum quia sunt conformes objecto suo inadæquato.

Obj. 2.° Inter attributa, et essentiam divinam, sola debet admitti distinctio rationis ratiocinantis, quia nullum est fundamentum reale distinguendi mentaliter: ergo. *Nego ant. et ejus prob.* Nam illud fundamentum est summa et infinita Dei perfectio, quam mens, propter sui tenuitatem, uno conceptu exhaurire non potest.

Q. 6. Quomodo attributa essentiam, et essentia attributa sese in suo conceptu essentiali includunt? *R.* Sese includunt in sensu identico, quia nulla distinctione reali distinguuntur, suntque una simplicissima entitas: sed non se includunt in sensu formali, saltem explicite, quia attributa non sunt de conceptu formali abstractivo essentiæ, nec vice versa.

Q. 7. Quomodo essentia de attributis, et attributa de se invicem, ac de essentia prædicentur? *R.* 1.° Attributa, et essentia divina in concreto de se invicem prædicantur, sic dicitur: *Deus est justus, justus est Deus; misericors est justus.* Ratio est, quia

Digitized by Google

habent unum commune subjectum, aut quasi subjectum. *R.* 2.° Concreta de abstractis, abstracta de concretis, et abstracta de abstractis, de se invicem prædicantur in sensu reali: sic recte dicitur: *Deus est justitia, Deitas est justitia; justitia est misericordia.* Ratio est, quia sunt unum et idem in omni sensu reali actuali, ut supra probatum est. *R.* 3.° In Deo abstracta de abstractis non possunt de se invicem prædicari in sensu formali per mentem: sic non potest dici: *Justitia est misericordia*; quia abstracta, secundum sensum formalem considerata, sunt distincta: *ergo* diversos habent conceptus.

DISSERTATIO IV.

De attributis divinis speciatim.

CAPUT I.

De Simplicitate Dei.

Q. 1. Quid est simplicitas Dei? *R.* Negatio compositionis: et hæc est duplex, realis, nimirum, et rationis. Compositio *realis* est partium realiter distinctarum unio: (si partes sint physicæ, compositio dicitur *physica*; si metaphysicæ, *metaphysica.*) Sed compositio *rationis* est plurium partium so-

Digitized by Google

la ratione distinctarum unio; et hæc dicitur etiam *logica*.

Q. 2. Utrum compositio physica habeat locum in Deo? *R. Negat.* Nam omnis compositio physica fit ex materia et forma, vel ex subjecto et accidente; *atqui* 1.° Deus non constat ex materia et forma, cum sit substantia mere spiritualis: *Spiritus est Deus*, inquit Christus (*Joan. 4.*) *et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare....* 2.° Non constat ex subjecto et accidente, cum sit immutabilis: *ergo*, &c.

Obj. 1.° Scriptura variis in locis membra humana Deo tribuit, v. g. aures, oculos, &c. ergo. *Dist. antec.* Tribuit metaphorice, *conc.* proprie, *nego.* Per istas enim locutiones designantur variæ Dei perfectiones, quamdam cum facultatibus corporeis analogiam habentes: sic, per *brachia* intelligitur Dei omnipotentia, quia in eo membro residet hominis fortitudo.

Inst. In Deo sunt affectiones corporeæ, v. gr. pœnitentia, ira, &c. ergo. *Dist. antec.* Sunt in Deo quoad effectum, quia nempe idem facit Deus erga creaturam, quæ eum offendit, quod agere solent homines, cum malefactores puniunt, et opera sua destruunt, quæ fecisse illos pœnitet, *conc.* quoad affectum, et interiorem animi motum, *nego*: aliàs Deus mutaretur, cum de non irato fieret iratus.

Digitized by Google

Obj. 2.° Tertull. (*lib. contra Praxeam, c.* 7.) videtur asserere, Deum esse corpus: ergo. *Dist. antec.* Prout corpus opponitur nihilo, et vacuo, *conc.* prout opponitur substantiæ spirituali, *neg. ant.* Agit enim contra Praxeam, qui verbum divinum non distinguebat à Patre, dicens, quod non sit, *nisi vox et sonus oris, et aër offensus*: quem ut argueret, dixit, Deum esse corpus, per *corpus* intelligens substantiam per se subsistentem, non molem extensam; quia ait: *Omne, quod est, corpus est sui generis*, id est, suo modo, et latissimo sensu.

Obj. 3.° A creatione mundi multa de novo advenerunt Deo, v. g. titulus creatoris, judicis, &c. Ergo est compositus ex subjecto et accidente. *Dist. antec.* Advenerunt Deo denominative et objective per meram connotationem ad creaturas, *conc.* intrinsece et subjective per ordinem ad divinam virtutem, *nego ant.* Nam Deus ab æterno habet virtutem creandi, judicandi, &c. quæ Deo non advenit, cum sit ipsi essentialis. Unde patet, totam mutationem cadere in res creatas, quæ ab uno statu transeunt ad alium.

Obj. 4.° D. Aug. (*lib. 5. de Trinit. c. 4.*) docet, non omnia, quæ de Deo dicuntur, secundum substantiam dici: *ergo* aliqua de eo dicuntur secundum accidens. *Neg. conseq.* Nam Div. Aug. non opponit substantiam accidenti, sed relationi, asserendo, non

Digitized by Google

cuncta, quæ de Deo dicuntur, absolute dici, sed aliqua relative.

Q. 3. Utrum compositio metaphysica ex essentia, et existencia, vel ex natura, et personalitate, habeat locum in Deo? *R. Negat.* Nam omnis compositio fit ex rebus distinctis; *atqui* 1.° existentia Dei, nequidem per mentem, distinguitur ab essentia: Deus enim est *ens à se*; atqui *ens à se* includit existentiam in suo conceptu: *ergo*, &c.... 2.° Natura divina, et personalitas neque realiter, neque formaliter ex natura rei distinguuntur, (ut superius probatum est): *ergo*, &c.

Q. 4. Utrum in Deo sit compositio logica? *R. Negat.* Nam in omni composito ex genere et differentia, genus se habet ut potentia perfectibilis et actuabilis à sua differentia; *atqui* in Deo, ente purissimo et actualissimo, nihil est per modum potentiæ; aliàs actus perfectior cogitari posset: *ergo*, &c. Hinc SS. Patres cum Cyrillo Alex. clamant: *Alienum est à ratione, genus in Deo ullum nominare.*

Obj. Compositio, quæ est in sola mente, nihil imperfecti arguit in Deo; *atqui* compositio ex genere et differentia est in sola mente: ergo. *Neg. maj.* Nam omnis compositio arguit aliquid in Deo, quod se habet per modum potentiæ; *atqui* omnis potentialitas repugnat enti perfectissimo: *ergo.*

Digitized by Google

Inst. 1.° Illa potentialitas est pure mentalis: *ergo* non repugnat Deo. *Neg. conseq.* Efficit enim, ut ens purius Deo excogitari possit, illud nempe, in quo non esset talis potentialitas: hoc autem repugnat Deo. *Inst.* 2.° Distinctio fundamentalis non repugnat Dei simplicitati: *ergo* nec compositio fundamentalis. *Neg. conseq.* Disparitas est, quod distinctio fundamentalis nihil aliud arguat, quam summam Dei eminentiam, quam mentis nostræ tenuitas unico conceptu attingere non potest. E contra compositio fundamentalis dicit actum, et potentiam, quæ magna est imperfectio, puritati Dei maxime nociva.

Q. 5. Utrum Deus possit venire in aliorum compositionem? *R.* In eam quæ dicitur *cum his*, utique: sed non potest venire in aliorum compositionem, quæ dicitur *ex his*. *Prob.* 1.ª *pars*: Quia compositio *cum his* fit cum plura ad constituendum compositum, ita conjunguntur, ut unumquodque eorum remaneat actus; *atqui* Deus potest venire in ejusmodi compositionem; nam reipsa Verbum divinum sic componitur in Incarnatione, in qua solius termini rationem habet: ergo. *Prob.* 2.ª *pars*: Quia compositio *ex his* fit ex duobus, quorum unum est materia, alterum forma; *atqui* ea compositio repugnat Deo, qui, si habere rationem materiæ, esset in potentia ad formam: si haberet rationem formæ, de-

Digitized by Google

penderet à materia tanquam in subjecto: *ergo*, &c.

Obj. Verbum in Incarnatione receptum est in natura humana tanquam in subjecto, quod informavit, ac perfecit: *ergo* persona Verbi venit in compositionem *ex his*, tanquam forma. *Neg. ant.* Nam actus informans simul cum subjecto componit unicam naturam; *atqui* in Christo sunt duæ naturæ: *ergo*, &c. Hinc *Almaricus* in conc. Lateran. IV. insanus dictus est, quod assereret, Deum esse causam formalem hujus mundi.

CAPUT II.

De Infinitate, et perfectione Dei.

Nota: Infinitum illud est, quod nullos habet terminos. Porro tribus modis potest res aliqua dici infinita, nimirum secundum quantitatem molis, secundum virtutem, et secundum essentiam, ita ut infinita sit simpliciter, et in omni genere perfectionis.

Q. 1. An Deus sit infinitus quantitate molis? *R. Negat.* Nam quantitas molis competit solis corporibus, quæ sunt extensa in longum, latum, et profundum; *atqui* Deus non est corpus: *ergo.*

Q. 2. An Deus sit infinitus secundum virtutem? *R. Affirm.* Nam est omnipotens, ut suo probabitur loco.

Digitized by Google

Q. 3. An Deus sit infinitus secundum essentiam? *R. Affirm.* Nam 1.° de Deo dicitur, Baruch 3. *Magnus est, et non habet finem.* Ergo in Deo est plenitudo omnis esse.... 2.° Deus est *ens à se*: ergo nullos habet terminos suæ perfectionis: nihil enim à se ipso limitatur, sed à libera voluntate, vel impotentia suæ causæ; Deus autem nullam sui esse agnoscit causam.

Obj. Corpus infinitum omnem occupat locum, à quo omnia alia corpora excludit: *ergo*, si Deus esset ens infinitum, excluderet omnia alia entia. *Nego conseq.* Disparitas est, quod sit de essentia corporis infiniti, ut omnibus omnino locis coexistat cum impenetrabilitate, ac proinde non compatiatur alia secum corpora in loco: at vero infinito secundum essentiam non est essentiale, ut excludat omnes res à se distinctas; sed sufficit, ut omnes earum perfectiones, vel formaliter, vel eminenter, contineat.

Q. 4. Quotuplex est perfectio? *R.* Triplex, nempe, *simpliciter simplex, simplex, et secundum quid.* 1.ª, quæ melior est ipsa, quam non ipsa, id est, quam melius est habere, quam non habere: 2.ª est illa, quæ, licet nullam imperfectionem importet, tamen incompossibilis est cum alia æquali perfectione: sic Paternitas in Deo incompossibilis est cum filiatione: *et demum* perfectio *secundum quid* est ea, quæ suo in conceptu formali aliquam

Digitized by Google

ineludit imperfectionem, ut esse corpus.

Q. 5. Quot modis unum continetur in alio? *R.* Tribus, 1. *formaliter*, quando in alio continetur secundum propriam formam; sic animalitas continetur in homine: 2. *eminenter*, quando nobiliori modo continetur in alio, quam in subjecto, in quo reperitur secundum propriam suam formam: 3. *virtualiter*, quando in alio est tanquam in causa: sic planta continetur in semine.

Q. 6. Quomodo perfectiones creaturarum *simpliciter simplices* continentur in Deo? *R.* Formaliter; quia prædicantur de Deo in abstracto, et secundum propriam formam, juxta illud Job 12. *Apud ipsum est fortitudo, et sapientia.*

Obj. Sapientia et bonitas creaturarum sunt finitæ, et imperfectæ: *ergo* Deus illas non continet formaliter. *Dist. ant.* Sunt finitæ, et imperfectæ ratione subjecti ex natura sua finiti, *conc.* ratione sui, *nego ant.* Illæ enim virtutes ex sese possunt esse perfectæ, et infinitæ; unde in subjecto infinito sunt infinitæ.

Q. 7. Quomodo perfectiones creaturarum *simplices* continentur in Deo? *R.* Continentur *formaliter*: nam quod constituit SS. Trinitatis personas, continetur in Deo formaliter: atqui perfectiones *simplices*, nempe relationes divinæ, constituunt tres SS. Trinitatis personas: *ergo*, &c.

Digitized by Google

Q. 8. Quomodo perfectiones creaturarum *secundum quid* continentur in Deo? *R.* 1.° Non continentur *formaliter*; quia dicunt imperfectionem, imo excludunt majorem perfectionem, v. g. esse corpus excludit ens mere spirituale: *ergo. R.* 2.° Continentur *eminenter*; quia in Deo continentur nobiliori modo, quam in subjecto, in quo reperiuntur secundum propriam suam formam, cum in Deo sint ab omni prorsus imperfectione defæcatæ: *ergo* in Deo continentur eminenter.

CAPUT III.

De Immutabilitate, incomprehensibilitate, et ineffabilitate Dei.

Q. 1. Quid est immutabilitas? *R.* Negatio mutationis: unde immutabile dicitur, quod aliter non potest se habere, ac est.

Q. 2. Quotuplex est mutatio, seu mutabilitas? *R.* Duplex, *realis* seu *intrinseca*, quæ fit per receptionem, aut amissionem alicujus positivæ perfectionis, ut cum lignum mutatur in ignem; et *impropria*, seu *extrinseca*, quæ fit per novam denominationem extrinsecam absque receptione, vel amissione ullius qualitatis positivæ. De mutatione reali hic agitur.

Q. 3. Utrum Deus sit omnino immutabilis? *R. Affirm.* Nam 1.° Deus dicit (*Ma-*

Digitized by Google

lach. 3.): *Ego Dominus, et non mutor....* 2.° Non est mutabilis secundum substantiam, quia est immortalis: nec secundum tempus, quia æternus: nec secundum locum, quia immensus: nec secundum quantitatem, quia non est corpus: nec secundum perfectionem, quia infinitus: nec secundum operationem, quia quæcumque Deus cognoscit, et vult, ab æterno cognoscit, et vult: *ergo*, &c.

Obj. Deus transit de loco in locum; ait enim *Genes. 11. Venite, descendamus, &c. Dist. ant.* Transit metaphorice, quia ita agit, quasi moveretur, *conc.* Vere, *subdist.* sub specie humana assumpta, *conc.* juxta propriam naturam, *nego ant.* Porro, *Genes.* 11. sermo est de Deo sub specie humana apparente.

Inst. 1.° Deus de non creante factus est creans: *ergo* mutatus est intrinsece. *Dist. ant.* Factus est creans per actum, quem semper habuit, *conc.* per actum, qui ei de novo advenit, *nego ant.* Itaque per creationem nulla nova entitas Deo advenit, sed nova denominatio, et relatio ad creaturas: nihil enim vult in tempore, quod non velit ab æterno; unde actus ejus est æternus.

Inst. 2.° D. Aug. dicit: *Deus novit mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum*: ergo Deus mutatur. *Dist. conseq.* Mutatur extrinsece, quatenus eodem

Digitized by Google

modo se gerit, ac si mutaret sententiam, *conc.* intrinsece, quasi novum volendi actum reciperet, *nego.* Itaque, sive Deus puniat, sive condonet, punit, et condonat per unum et eundem actum, tendentem in diversa objecta, et ideo tota mutatio est in homine.

Inst. 3.° Deus est intrinsece liber: *ergo* potest mutare sententiam intrinsece. *Neg. cons.* Quia cum libertas Dei sit perfectissima, potest unico actu, utpote infinito, velle et nolle, amare et odisse; ille autem actus, entitative spectatus, est ipse Deus.

Q. 4. Utrum Deus possit comprehendi ab intellectu creato? *R. Negat.* Nam 1.° Deus (*Jerem.* 32.) dicitur *incomprehensibilis cogitatu*.... 2.° Quia comprehendere Deum, est divinam essentiam cognoscere, quantum cognoscibilis est, ipsamque omni ex parte exhaurire; *atqui* non potest sic cognosci, nisi per cogitationem infinitam, cujus non est capax intellectus creatus: *ergo*, &c.

Obj. Beati vident Deum totum, ut est in se: *ergo* comprehendunt Deum. *Dist. ant.* Vident Deum totum, et non totaliter, *conc.* vident Deum totum, et totaliter, *neg. ant.* Porro ad comprehensionem Dei non sufficit, ut totus videatur, sed insuper requiritur, ut videatur totaliter, id est, tam perfecte ac videri potest, et exigit; ac consequenter cognitione infinita, cujus mens creata non est capax.

Digitized by Google

Inst. 1.° Deus est simplicissimus: *ergo* non potest videri totus, quin simul videatur totaliter. *Neg. conseq.* Quia ut videatur totaliter, necesse est, ut videatur omni modo, quo videri potest, et exigit; *atqui* videri potest, et exigit modo infinito: ergo. *Inst.* 2.° D. Aug. (*Epist.* 112.) ait: *Illud comprehendi, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem*; atqui nihil Dei latet beatos: ergo. *Dist. maj.* Ut nihil lateat videntem, tum quoad rem visam, tum quoad omnem amplitudinem ejus cognoscibilitatis, *conc.* quoad rem visam duntaxat, *nego maj.* Porro cognitio beatorum, cum sit finita, non adæquat totam cognoscibilitatem Dei, qui modo infinito exigit videri.

Q. 5. An Deus sit ineffabilis? *R. Affirm.* Ita definitur in conc. Lateran. IV. cap. *firmiter*, de summa Trinit. *Credimus, quod Deus sit, ... incomprehensibilis, et ineffabilis?*

Q. 6. Quo sensu Deus dicatur ineffabilis? *R.* Hoc, quod à viatoribus, nullo nomine perfecte, et ut est in se, possit exprimi; quia eum perfecte, et ut est in se, non cognoscunt.

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Invisibilitate Dei.

Q. 1. Quotuplex est cognitio Dei? *R.* Duplex, *abstractiva*, nempe, qua Deum, per medium ab eo distinctum, nimirum per creaturas, cognoscimus; et *intuitiva*, qua Deum, ut in se est, seu essentiam Dei cognoscimus: de hac nunc agimus.

Q. 2. Utrum Deus videri possit oculis corporeis? *R. Negat.* Nam in Scriptura Deus dicitur invisibilis, ita Apost. 1. *ad Tim.* 1. ubi ait: *Regi sæculorum immortali, et invisibili.* Et visibilis, *ex Joan.* 3. *Videbimus eum, sicuti est*: ergo est visibilis, et invisibilis; visibilis per mentem, et invisibilis oculo corporeo. *Ratio est*, quia Deus, cum sit purus spiritus, non est coloratus: *ergo* est extra objectum adæquatum oculi corporei: *ergo* oculus corporeus non potest, etiam de potentia Dei absoluta elevari ad intuitivam Dei visionem.

Obj. 1.° Scripturæ textus, quibus asseritur, Jacob et Moysen vidisse Deum *facie ad faciem*, intelligi debent de visione Dei per oculum corporeum: ergo. *Dist. ant.* Intelligi debent de visione Dei, sub specie aliena et assumpta, *conc.* in propria natura, *nego. ant.* Viderunt ergo Deum sub specie An-

Digitized by Google

geli Deum repræsentantis, non vero viderunt essentiam divinam.

Obj. 2.° *Job c. 19.* ait: *In carne mea videbo Deum meum*: ergo. *Nego conseq.* Cum divo Aug. qui *lib. 22. de Civit. Dei cap.* 19. observat, Job dixisse, se post resurrectionem visurum Deum *in carne*, id est, resumpto corpore, *non per carnem*, sed per mentem.

Inst. 1.° Job addit: *Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt*: ergo. *Nego conseq.* Nam Job ibi non loquitur de Deo in se, sed de Deo redemptore, qui in carne assumpta potest videri oculo corporeo: *Inst.* 2.° *Job c. 42.* ait: *Auditu auris audivi te; nunc autem oculus meus videt te*; atqui ibi loquitur de Deo in se: ergo. *Nego min.* Loquitur enim de Deo in sua providentia, quasi diceret: multa audieram de effectibus tuæ providentiæ, nunc autem, cum à tot miseriis sanus evaserim, illos proprio experimento, quasi ad oculum, video.

Obj. 3.° Visus est potentia cognoscitiva; Deus vero objectum cognoscibile; *atqui* potentia cognoscitiva potest extendi ad quodlibet objectum cognoscibile: *ergo*, &c. *Dist. maj.* Est potentia cognoscitiva particularis, et ad unum objectum determinata, nempe ad coloratum, *conc.* universalis, *nego maj.* Deus autem non est coloratus.

Inst. Deus per absolutam suam potentiam

Digitized by Google

elevat ignem corporeum ad comburendas animas, aquam in baptismo ad producendam gratiam, licet cum illis effectibus ignis, et aqua nullam habeant proportionem: *ergo* à pari oculus corporeus elevari potest ad videndum Deum intuitive. *Nego conseq.* Disparitas est, quod ignis corporeus, et aqua baptismalis, non agant modo vitali, et consequenter sunt tantum causæ instrumentales effectuum, ad quos producendos à Deo assumuntur; in causis autem instrumentalibus Deus proportionem aliquam cum effectu producendo non supponit. E contra oculus corporeus, cum agat vitaliter, est essentialiter causa principalis effectuum, quos operatur, ad quos seipsum movere debet: *ergo* aliquam, saltem inchoatam, cum illis effectibus proportionem habere debet.

Q. 3. Utrum Deus per solas naturæ vires possit ab intellectu creato videri intuitive? *R. Negat.* Nam 1.° ita definitum est in concilio Viennensi contra Beguardos.... 2.° Isaias *cap.* 64. dicit: *Oculus* (mentis) *non vidit, Deus absque te*, (dante, et elevante) *quæ præparasti expectantibus te*... Ratio est, quia visio intuitiva est actus supernaturalis, qui non potest elici per solas naturæ vires.

Obj. Deus intuitive videndus, est intra latitudinem objecti intellectus specificativi: *ergo* potest naturaliter illius visionem con-

Digitized by Google

sequi. *Dist. ant.* Est intra latitudinem objecti intellectus specificativi, ipsi improportionati, *conc.* proportionati, *nego ant.* Licet ergo Deus clare videndus, sit intra latitudinem objecti intellectus, quatenus est potentia visiva; tamen, cum sit ordinis supernaturalis, ipsi est improportionatus, nec potest illum intuitive videre, nisi aliquo supernaturali auxilio roboretur.

CAPUT V.

De Visibilitate Dei.

Q. 1. Utrum intellectus creatus possit Deum videre? *R.* Potest per quoddam auxilium Dei supernaturale: siquidem, *Matth.* 5. dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et Apost. (*1. ad Cor.* 13.) ait: *Videmus nunc per speculum, et in ænygmate; tunc autem*, in patria, *facie ad faciem*, id est, intuitive.... 2. Hæc veritas, quæ definita est in concilio Florent, demonstratur ex traditione; nam D. Iren. (*lib. 4. contra hæres. cap.* 20.) ait: *Participatio Dei est videre Deum... homines igitur videbunt Deum, et vivent per visionem, immortales facti, et pertingentes usque ad Deum.* Et D. Clem. Alex. (*lib. 5. Strom.*) sic loquitur: *Qui sunt mundo corde, Deum videbunt, postquam extremam perfectionem attigerint.*

Digitized by Google

Obj. 1.° In Scripturis Deus dicitur *invisibilis*: ergo. *R.* Illi textus intelliguntur, vel de visione coporea, aut de comprehensiva, vel de visione per solas naturæ vires, aut de intuitiva in hac vita: non autem de visione intuitiva in altera vita.

Obj. 2.° Multi SS. Patres asserunt, Dei naturam non posse intuitive videri: ergo. *Nego ant.* Nam SS. Patres unice rejiciunt possibilitatem visionis Dei comprehensivæ contra Anomæos, *qui* (ut ait D. Chrysost. Hom. 2. contra Anomæos.) *stulte non minus, quam impie jactitabant, se ita Deum nosse, ac Deus seipsum novit.* Apposite ergo ad controversiam, quam versabant, exponi debent hæc eorum verba, *videri*, et *non videri*, quæ, pro varia eorum significatione, de Deo dici possunt; constat enim, SS. Patres vocabula *videri* et *comprehendi*, tanquam synonyma usurpasse.

Obj. 3.° Inter mentem finitam, et Deum infinitum, nulla est proportio: ergo. *R.* Nulla est proportio *entitatis*, quæ est similitudo in natura; sed est proportio *habitudinis*, in eo posita, quod res aliqua contineatur intra objectum alicujus potentiæ: nam Deus continetur intra verum, quod est objectum intellectus; illa autem proportio habitudinis sufficit ad Deum supernaturali auxilio videndum.

Q. 2. Utrum aliquibus puris hominibus in hac vita positis fuerit concessa intuitiva Dei

Digitized by Google

visio? *R. Negat.* Nam Moysi à Deo postulanti, ut suam ipsi gloriam ostenderet (*Exod.* 33.) respondit Deus: *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, et vivet.* Ubi nullus, ne Moyses quidem excipitur... Et *Joan.* 6. dicitur: *Omnis, qui audivit à Patre, venit ad me, non quia patrem vidit quisquam, nisi is, qui est à Deo, hic vidit patrem*; Ubi ab illa prop. negativa excipitur solus Christus; *atqui* unius exceptio firmat regulam quoad alios; *ergo.*

Obj. 1.° Deus (*Exod.* 33.) dixit Moysi: *Ostendam tibi omne bonum;* atqui per *omne bonum* intellexit divinam naturam: ergo. *Nego min.* Nam Deus immediate exclusit intuitivam visionem, dicens; *Faciem autem meam videre non poteris*; ergo per to *omne bonum* intellexit duntaxat Deus mirabilia, quæ per Moysen operaturus erat, ut Israelem à captivitate Ægyptiaca liberaret. *Inst.* Deus de Moyse (*Num.* 12.) ait: *Os enim ad os loquor: et palam, et non per ænygmata, et figuras Dominum videt:* ergo intuitive Deum videbat. *Dist. conseq.* Intuitive videbat Deum in persona Angeli Deum repræsentantis, *conc.* in propria natura, *nego cons.* Videbat ergo Angelum, qui typum Dei gerebat, ut asserit S. Stephanus, *Act.* 7.

Obj. 2.° Apostolus (2. *ad Cor.* 12.) asserit, se raptum fuisse ad tertium cœlum, et audivisse arcana verba, quæ non licet ho-

Digitized by Google

mini loqui: *ergo*, &c. *Nego conseq.* Non enim Apost. loquitur de visis, sed de auditis per revelationem sibi factam in extasi, vel in raptu mirabili, quem passus fuerat; idque suadent, tum verbum *audivi*, quo utitur, tum hæc verba sequentia, *ne magnitudo revelationum extollat me*, &c.

Q. 3. Quinam fuit error Millenariorum? *R.* In eo consistit, quod docuerint, justos post generalem resurrectionem, antequam ad visionem Dei raperentur, cum Christo in terris regnaturos, illudque regnum traducturos, vel in ventris ac libidinis voluptatibus explendis, ut docuit infamis *Cerinthus*; vel in voluptatibus corporeis, sed licitis, ut quidam tenuerunt; vel in solis animæ spiritualibus deliciis, ut docuit *Papias*, Ierapolitanus Episcopus, Joannis Evangelistæ auditor.

Q. 4. Quid de sententia Cerinthi est sentiendum? *R.* Quod sit infamis, ab ipso Christo (*Matth.* 22.) damnata, quando ait: *In ressurrectione neque nubent, neque nubentur*; et ab Apostolo (*ad Rom.* 4.) dicente: *Non est regnum Dei esca, et potus.*

Q. 5. Quid de sententia Papiæ dicendum est? *R.* Quod sit fabulosa, ac delira: nam si vera esset, 1. Regnum Christi esset terrenum, quod est contrarium Evangelio, nam ipsemet Christus, (*Joan. 18.*) dicit: *Regnum meum non est de hoc mundo*... 2.° Re-

Digitized by Google

gnum Christi esset mille annorum spatio circumscriptum, quod tamen nullum habiturum esse finem, asserit D. Lucas, (*cap.* 1.) ubi dicit: *Regni ejus non erit finis.*

Obj. D. Joan. in *Apocal.* (*cap.* 20.) docet, quod Angelus *ligavit* diabolum *per mille annos... ut non amplius seducat gentes, donec consummentur mille anni*; atqui hæc est Millenariorum sententia: ergo. *Nego min.* Nam juxta Millenarios regnum Christi futurum non erat, nisi post generalem corporum resurrectionem; tamen D. Joannes loquitur de regno mille annorum, qui præcedent adventum Anti-Christi, qui regnabit tribus annis et dimidio ante corporum resurrectionem; dicit enim: *Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, et exibit, et seducet gentes.* D. Joannes ergo per mille annos designat durationem præsentis Ecclesiæ à primo Christi adventu usque ad Anti-Christi tempora, quod tempus dicitur regnum Christi.

Inst. Quod D. Joan. docet de regno Christi, non potest intelligi de tempore præsentis Ecclesiæ: *ergo*, &c. *Prob. ant.* Juxta D. Joan. 1.° toto tempore illius regni draco ligabitur; *atqui* quotidie hominibus insidiatur: *ergo.* 2.° Tempus illius regni ad mille annos restringitur; *atqui* Ecclesia ab annis 1779. durat: *ergo.* 3.° Animæ decollatorum, propter testimonium Jesu, pertinebunt ad

Digitized by Google

illud regnum; *atqui* non sunt amplius de Ecclesia: *ergo.*

R. ad 1. dist. ant. Draco est ligatus, quatenus per mortem Christi ejus vires depressæ sunt, et extenuatæ, *conc.* Hoc significat Christus (*Joan. 12.*) dicens: *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Quatenus insidias hominibus struere amplius non potest, *nego ant.* Adhuc enim *latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem,* ait D. August. (*serm. 197. de temp.*)

R. ad 2. dist. maj. Restringitur ad millé annos sumptos indefinite pro toto illo tempore, quod à morte Christi ad diem usque judicii, vel ut alii volunt, ad adventum Anti-Christi intercedit, *conc.* sumptos definite, *nego maj.* Itaque *mille annos pro annis omnibus hujus sæculi posuit* (ait D. August. *loc. cit.*) *ut perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo,* quæ per millenarium numerum solet explicari in Scriptura, sic *Jerem. 32.* ubi ait Deus: *Ego Dominus faciens misericordiam in millibus his, qui diligunt præcepta mea,* id est, in omnibus.

R. ad 3. nego min. Cum D. Aug. ibidem: *Neque enim,* ait, *piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ nunc est regnum Christi.... regnant cum illo,* per gloriam essentialem, *dum isti mille anni,* primæ resurrectionis, *decurrunt.*

Digitized by Google

Q. 6. Utrum animæ justorum, quibus nihil superest expiandum, statim post mortem, ad claram Dei visionem admittantur? *R. Affirm.* Nam 1.° Apost. (2. *ad Cor.* 5.) scribit, Sanctos post mortem habituros esse *domum non manufactam, æternam in cœlis.* Nullum autem tempus interponit inter mortem, et possessionem illius æternæ habitationis: *ergo*, &c... 2.° Idem asserunt Patres: *Quanta securitas* (inquit D. Cypr. exhortat. ad martyrium) *claudere in momento oculos, quibus homines videbantur, et mundus, et aperire eosdem statim, ut Deus videatur, et Christus.... sine damno temporis merces, judice Deo, redditur*: ergo *statim, et sine damno temporis*, justi visione beatifica donabuntur.

Obj. 1.° D. Joan. (*Apoc.* 6.) dicit, se vidisse *subtus altare* animas interfectorum *propter verbum Dei*: ergo Martyres nondum sunt in cœlis. *Nego conseq.* Nam quidquid intellexerint nomine *altaris*, certum est, illas animas in cœlo esse; nam infra dicitur: *Illis datæ sunt singulæ stolæ albæ*; atqui per stolas albas intelligitur æterna felicitas: *ergo*.

Inst. Illis martyrum animabus postulantibus gloriam responsum est, *ut requiescerent adhuc modicum, donec compleantur conservi eorum, et fratres eorum*, id est, ut finem mundi expectarent: *ergo* nondum

Digitized by Google

fruuntur beatitudine. *Dist. conseq.* Nondum fruuntur beatitudine corporis, *conc.* animæ, *nego conseq.* Itaque animæ illæ, jam una stola, hoc est, animæ felicitate donatæ, gloriam corporis postulant, quæ dicitur non esse ante finem mundi concedenda.

Obj. 2.° In ultimo duntaxat judicio Christus dicet electis: *Possidete paratum vobis regnum*, *Matth.* 25. Deinde paterfamilias non solvit denarium diurnum, nisi ad vesperam, *Matth.* 20. id est, nisi ad finem mundi: *ergo*, &c. *Nego conseq.* Uterque enim textus intelligitur de beatitudine completa, tam animæ, quam corporis, qua electi non donabuntur nisi in fine mundi, post ultimum judicium.

Obj. 3.° SS. Patres justorum felicitatem ad ultimum usque judicii diem protrahunt: ergo. *Nego ant.* Exceptis enim paucis, qui Papiæ adhæserunt, ut sunt, *Justinus*, *Irenæus*, *Nepos*, *Lactantius*, *Severus Sulpitius*, *et Augustinus* initio sui Sacerdotii, reliqui omnes asserunt, animas justorum statim post mortem in cœlo regnaturas.

Inst. 1.° D. Aug. *Serm.* 199. docet, omnes Sanctos post resurrectionem sabbatizaturos in terra cum Christo, antequam in cœlum admittantur, *et sabbatizabunt Sancti, et justi Dei*: ergo, &c. *R.* Fateor, D. Augustinum initio Sacerdotii in opinione Millenariorum fuisse versatum, ut ipsemet

Digitized by Google

fatetur (*lib. 20. de civit. Dei cap. 9.*) Verum brevi postea istam opinionem exuit, et constanter exinde docuit, animas statim à morte clara Dei visione potiri; nam in Psal. 119. ait: *Ibi*, in cœlesti Jerusalem, *omnes Justi et Sancti sunt, qui fruuntur verbo Dei sine lectione, sine litteris; quod enim vobis per paginas scriptum est, per faciem Dei illi cernunt.*

Inst. 2.° D. Bernardus (*Serm. 3. de Sanctis*) ait: *In illam beatissimam* Dei *domum, nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis*: ergo nondum vident Deum. *Dist. ant.* Non intrabunt sine nobis in domum Dei, cum completa animæ, et corporis felicitate, *conc.* cum felicitate incompleta animæ, *nego ant.* sic se explicat D. Bernard. *eodem serm.* dicens: *Acceperunt jam singulas stolas, sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur et nos.. stola enim prima, ipsa est, quam diximus, felicitas, et requies animarum; secunda vero, immortalitas, et gloria corporum.* Hæc de sana D. Bernardi doctrina nullum relinquunt dubitandi locum.

Inst. 3.° Joan. XXII. definivit Sanctos, non nisi post extremi judicii diem, esse Deum visuros: *ergo*, &c. *Nego ant.* Licet enim *Joan. XXII.* tanquam Doctor privatus, in ea fuerit opinione, nihil tamen super ea re definiit, ut constat. 1.° Quia id declaravit Clerus Gallicanus, à Rege in castrum Vincennarum to-

Digitized by Google

actus... 2.° Quia idipsum testatur *Joan. XXII.* revocando priorem suam opinionem per speciale diploma datum Avenione, anno ejus Pontificatus ultimo. Quod diploma *Benedictus XII.* ejus successor promulgavit anno sequenti, in Extravag. quæ incipit: *Benedictus Deus.*

Q. 7. Quid est lumen gloriæ? *R.* Habitus supernaturalis, quo mens creata à Deo elevatur ad intuitivam visionem Dei eliciendam.

Q. 8. Utrum lumen gloriæ necessarium sit ad Deum intuitivè videndum? *R. Affirm.* Nam 1.° hoc definitum est in Conc. Viennensi contra Beguardos, et Beguinas... 2.° Quia cum intuitiva Dei visio sit supernaturalis, intellectus creatus est ex se insufficiens, et improportionatus ad illam eliciendam: *ergo* ad id indiget elevari per aliquod auxilium supernaturale; *atqui hoc* est lumen gloriæ; *ergo*, &c. Hinc *Psal.* 35. dicitur: *In lumine tuo videvimus lumen.*

Obj. 1.° Omnis facultas potest per se, et sine ullo addito, attingere objectum suum; *atqui* Deus, utpote summe cognoscibilis, est objectum intellectus creati: ergo. *Dist. maj.* Potest per se attingere objectum suum, sibi proportionatum, *conc.* sibi improportionatum, *nego maj.* Deus itaque intuitive videndus, est objectum supernaturale: *ergo* intellectui creato improportionatum.

Obj. 2.° Si lumen gloriæ sit principium ef-

Digitized by Google

fectivum visionis beatificæ, intellectus erit tantum causa instrumentalis illius visionis; absurdum consequens: ergo. *Nego sequel. maj.* Nam tum intellectus, tum lumen gloriæ simul conjuncta, unicum efficiunt visionis beatificæ principium: *ergo* neutrum suam agendi virtutem recipit ab alio.

Q. 9. Quotuplex est objectum intuitivæ Dei visionis? *R.* Duplex, *primarium*, nempe, quod primo, per se, et immediatè videtur, et in quo cætera videntur, talis est Deus: Et *secundarium*, quod in alio videtur, nec confert ad beatitudinem nisi accidentaliter, ejusmodi sunt creaturæ.

Q. 10. Quid primario beati vident in Deo? *R. Vident* 1.° essentiam divinam, et omnia attributa, tam absoluta, quam relativa. Non possunt enim videre Deum, ut est in se, facie ad faciem, quin videant omnia attributa, quæ sunt in Deo formaliter, et intrinsece.

Vident 2.° omnia mysteria fidei; nam vident *facie ad faciem* quæ viderunt in terris *per speculum, et in ænigmate.*

Q. 11. Utrum essentia divina possit videri sine attributis, vel una persona sine alia? *R.* Non potest, nequidem de potentia Dei absoluta; nam Christus (*Joan. 14.*) ex visione Verbi concludit visionem Patris. *Philippe, qui videt me, videt et Patrem:* atqui dicit id fieri ex eo, quod sint unum in essentia: *Quomodo tu dicis, ostende nobis Patrem?*

Digitized by Google

non credis, quia ego in Patre, et Pater in me est? ergo visa essentia videntur omnia, quæ sunt idem cum illa, qualia sunt omnia attributa, et omnes SS. Trinitatis personæ.

Obj. 1.° Essentia Dei virtualiter distinguitur ab attributis et personis; *atqui* virtualis illa distinctio sufficit, ut unum sine alio terminet actum intellectus: *ergo*, &c. *Dist. min.* Ut terminet actum intellectus abstrahentis, *conc.* intuitive videntis, *nego min.* Nam intuitiva visio terminatur ad Deum, ut est in se à parte rei, non ut per mentem una perfectio abstrahitur ab alia; *atqui* Deus, utpote simplicissimus, non potest videri, ut est in se, quin videatur totus: *ergo.*

Inst. Deus liber est in concedenda sui clara visione: *ergo* potest clare manifestare essentiam sine attributis. *Dist. ant.* Liber est absolute, quatenus potest se ad videndum exhibere, vel non exhibere, *conc.* liber est hypothetice, *nego ant.* Ex hypothesi enim, quod se clare videndum exhibeat, non potest manifestare essentiam, quin manifestet ea, quæ realiter identificantur cum essentia divina.

Obj. 2.° Personæ divinæ à se invicem realiter distinguuntur: *ergo* una potest videri absque alia. *Nego conseq.* Quia personæ, licet realiter inter se distinctæ, sunt unum et idem cum essentia divina, quæ à beatis primario videtur: *ergo* hæc videri non potest,

Digitized by Google

quin illæ simul cum ea videantur.

Inst. Una persona potuit incarnari sine aliis *ergo* pariter, &c. *Nego conseq.* Disparitas est, quod non necesse sit, ut res, quæ alicui unitur, ei adæquate uniatur, hoc est, secundum id omne, quod est idem cum ipsa; unde Verbum potuit uniri humanitati, quamvis id omne, quod est idem cum essentia divina, humanitati conjunctum non fuerit, id est, licet unaquæque persona propriam suam subsistentiam humanitati unierit. E contra visio objecti non potest esse intuitiva, quin objectum adæquate attingat, hoc est, secundum omnia, quæ sunt ejusdem cum ipso naturæ.

Q. 12. Utrum Beati videant omnes res in aliqua temporis differentia existentes? *R. Negat.* Quia multa sunt, quorum cognitionem Deus illis non tribuit, eo quod ad eorum statum non pertineant; sic, teste Christo, *Matth.* 24. non vident ultimi judicii diem, nec secreta cordis, nisi ad eos dirigantur.

Q. 13. Utrum aliquas saltem res existentes videant? *R. Affirm.* Nam vident res, ad quas naturalem habent appetitum: aliàs beatitudo non esset status omnium bonorum aggregatione perfectus. Sic 1.° vident rerum, quæ sunt in hoc universo, genera, et species, et rationes earum: 2.° Vident in Deo omnia singularia, quæ spectant ad statum, in quo, cum in terris degerent, vixere: 3.°

Digitized by Google

Vident preces, quas viventes ad eos dirigunt: quia hoc spectat communionem, quam Christus instituit inter membra Ecclesiæ regnantis, militantis, et patientis: 4.° Sese invicem vident, suosque parentes, et amicos cognoscunt: Ad illa enim omnia naturalem habent appetitum.

Q. 14. Utrum Beati videant omnia possibilia? *R. Negat.* Aliàs comprehenderent Deum: nam omnipotentia est ipse Deus.

Obj. Beati vident omnipotentiam Dei, ut est in se; *atqui* non possunt eam sic videre, nisi omnia possibilia videant: ergo. *Dist. min.* Nisi omnia possibilia videant confuse, *conc.* distincte, et sigillatim, *nego min.* Vident itaque omnipotentiam Dei in se, sed non vident singillatim omnes creaturas, ad quas potest sese extendere, aliàs comprehenderetur, quod menti finitæ est impossibile.

Q. 15. In quo Beati vident creaturas, quas vident? *R.* In Verbo divino, id est, in essentia divina.

Q. 16. Quomodo creaturæ, quæ videntur à Beatis, videntur in Verbo? *R.* Formaliter, et causaliter. Nam 1.° creaturas videri in Verbo *formaliter*, est illas videri ex visione, qua videtur essentia divina, in qua repræsentantur tanquam in speculo; *atqui* creaturæ sic videntur in Verbo, quod est speculum rerum omnium... *ergo*: 2.° Creaturas videri in Verbo *causaliter*, est eas vi-

Digitized by Google

deri in seipsis, visione equidem distincta à visione essentiæ divinæ, sed ab illa causata, ita ut essentiæ visio præsupponatur tanquam visionis creaturarum causa, saltem moralis; *atqui* creaturæ sic etiam videntur à Beatis, vel per revelationem ipsis factam, vel per species ipsis à Deo infusas: *ergo*, &c... Primam cognitionem D. August. (*lib. 4. de Genesi ad litt. cap. 24.*) vocat *matutinam*, quia clarior est: Secundam vero, *vespertinam*, quia obscurior et imperfectior est.

Obj. 1.° Creaturæ non sunt in Verbo *formaliter*: ergo non possunt in eo videri *formaliter*. *Neg. conseq.* Nam ut aliquid videatur *formaliter* in Verbo, sufficit, ut cum eo habeat connexionem talem, ut hoc sit ratio formalis, et motiva illud cognoscendi; *atqui* creaturæ habent talem connexionem cum Verbo, tum ratione causæ exemplaris, quippe factæ sunt ad normam idearum, quas de eis Verbum habuit ab æterno; tum ratione causæ efficientis, quippe *omnia per Verbum facta sunt*: ergo, &c.

Obj. 2.° Quod videtur in alio, non videtur intuitive, sed obscure; *atqui* repugnat, cognitionem Beatorum non esse intuitivam, sed obscuram: *ergo*, &c. *Dist. maj.* Non videtur intuitive, sed obscure, si illud aliud rem perfecte non repræsentet, *conc.* si perfecte rem repræsentet, *nego maj.* Porro Verbum, quod est perfecta imago Patris, est

Digitized by Google

etiam perfecta imago rerum omnium, tum possibilium, tum existentium.

Obj. 3.° Si Beati aliquas creaturas viderent in Verbo tanquam in speculo, viderent omnes creaturas, tum possibiles, tum existentes: quia Verbum illas omnes repræsentat: falsum ex dictis conseq. *ergo*, &c. *Dist. maj.* Si viderent eas tanquam in speculo necessario, *conc.* tanquam in speculo voluntario, *nego maj.* Porro essentia divina est speculum voluntarium, et consequenter beati eas solas creaturas in ea vident, quas Deus illis pro beneplacito vult manifestare, eorum intellectum per specialem concursum adjuvando ad harum, non ad illarum cognitionem.

Q. 17. Utrum intuitiva Dei visio in omnibus beatis sit æqualis? *R. Negat.* Nam 1.° Christus (*Joann. 14.*) dicit: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Quia*, inquit D. Greg. M. (*lib. 35. moral. cap. 4.*) *in illa beatitudinis vitæ non dispari, unusquisque juxta dispar meritum, locum disparem percipit*... 2.° *Apost.* (*1. ad Cor. 15.*) ait: *Stella enim differt à stella in claritate.* Hinc in Concil. Florent. definitum est; *Beatos visuros Deum, sicuti est; pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius.*

Obj. 1.° *Ex Matth.* 20. Unus denarius retribuitur omnibus, qui in vinea patrisfamilias operati sunt, licet alii plus, alii minus laboraverint: *ergo* æqualis omnibus decernitur visio

Digitized by Google

beatifica. *Dist. conseq.* Erit æqualis quoad substantiam, *concedo*; quoad gradum, et intensionem, *nego conseq.* Vita æterna erit æqualis omnibus, sed *pro meritorum diversitate fulgebunt, alius magis, alius minus,* ait D. Aug.

Obj. 2.° Deus est maxime simplex: *ergo* non potest inæqualiter videri. *Nego conseq.* Quia æqualitas, aut inæqualitas intuitivæ visionis non petuntur ex objecto, sed ex majori, vel minori virtute potentiæ, quæ circa illud objectum versatur: virtus autem illa major, vel minor est, prout magis vel minus participat de lumine gloriæ, quod est principium intuitivæ visionis.

Obj. 3.° Posita beatitudinis inæqualitate, alter beatus alteri invidebit, illiusque majorem felicitatem desiderabit: *ergo* non erit in statu omnium bonorum aggregatione perfecto. *Nego ant.* Nam, ut ait Greg. M. (*lib. 4. moral. cap. 31.*): *Nullus illius disparitatis damna sentit, quia tantum sibi, quantum perceperit, sufficit:* quilibet enim tantum visionis habet, quantum capere potest; unde cum quilibet sit exsaturatus, nullus aliorum perfectiorem statum ambit.

Q. 18. Undenam repetitur inæqualitas intuitivæ visionis? *R.* Ab inæqualitate lúminis gloriæ, tanquam à causa physica totali; non vero à majori, vel minori perspicatia intellectus. Ratio D. Thomæ (*1. p. q. 12. à 6.*)

Digitized by Google

est, quia *intellectus plus participans de lumine gloriæ, perfectius Deum videbit; plus autem participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate.* Hinc sacra Facultas Parisiensis sequentem damnavit prop. *Cujus meliora fuerint naturalia, necessario major erit gratia, et gloria.*

Obj. Intellectus concurrit ad visionem beatificam: *ergo* intellectus magis perspicax ad eam magis concurrit. *Dist. ant.* Concurrit per vires supernaturales, Deo per lumen gloriæ acceptas, *conc.* per vires naturales, *nego ant. Inst.* Intellectus ad visionem concurrit ut potentia vitalis: *ergo* per vires naturales. *Dist. ant.* Concurrit ut potentia vitalis elevata, et supernaturalizata, *conc.* ut naturalis, *nego ant.* Intellectus ergo agit, in quantum elevatur per lumen gloriæ; et consequenter tota visionis inæqualitas physice fluit ab inæqualitate luminis gloriæ intellectum magis, vel minus elevantis.

CAPUT VI.

De Dei æternitate, immensitate, et bonitate.

Q. 1. Quid est æternitas? *R.* Definitur à Boëtio: *Interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio...* Dicitur 1.° *Possessio*, quia est firma, quieta, et stabilis... 2.° *Tota simul*, quia nulla est in æternitate par-

Digitized by Google

tium successio... 3.° *Perfecta*, quia est immutabilis et independens ab alio... Dicitur 4.° *Interminabilis vitæ*, quia nec initium habet, nec finem.

Q. 2. Utrum Deus sit æternus? *R. Affirm.* Nam (*Deut. 32.*) Deus dicit: *Vivo ego in æternum. Et Daniel. 6.* dicitur: *Ipse est Deus vivens, et æternus in sæcula.* Ratio est, quia Deus est omnino immutabilis: *ergo* æternus. Æternitas enim nihil aliud est, quam duratio prorsus immutabilis.

Obj. In duratione Dei reperitur tempus præsens, præteritum, et futurum: *ergo* duratio Dei successionem importat: *ergo* non est æternus. *Dist. ant.* Reperitur præteritum, præsens, et futurum eminenter, quatenus nimirum Deus sua æternitate complectitur omnia tempora, utpote respondens omnibus motibus, qui in diversis temporis partibus fiunt, *conc. ant.* reperitur formaliter, *nego.* Nam successionem non importat. *Inst.* Æternitas coextenditur variis temporum spatiis, quæ vere successiva sunt: *ergo* æternitas est successiva. *Dist. ant.* Æternitas coextenditur eminenter, *conc.* formaliter, *nego ant.* Porro licet res coextensa formaliter sit mutabilis sicut res successiva, cui coextenditur; tamen res coextensa eminenter est immutabilis.

Q. 3. An æternitas sit ita propria Deo, ut nulli creaturæ communicari possit? *R.*

Digitized by Google

Affirm. Nam omnis creatura habet necessario suæ existentiæ initium, cum sit necessario facta ex nihilo, quod præcessit. Hinc SS. Patres ex æternitate Verbi probarunt illius divinitatem adversus Arianos.

Obj. Deus ab æterno est omnipotens: *ergo* ab æterno potuit creare. *Dist. conseq.* Potuit ab æterno creare in tempore, *conc.* in æternitate, *nego conseq.* Hoc enim implicat: nam omnis creatura supponit nihilum, quod sui creationem præcedit; nihil autem præcedere potest æternitatem.

Q. 4. Quid sit immensitas, et ubiquitas? *R. Immensitas* est illuminata substantiæ divinæ diffusio, per quam apta est coexistere omnibus rebus, et locis... *Ubiquitas* vero est actualis Dei existentia in omnibus rebus et locis. Immensitas ergo differt ab ubiquitate, tanquam actus primus secundo.

Q. 5. Utrum Deus sit immensus? *R. Affirm.* Nam 1.° Deus (*Baruch* 3.) dicitur *Excelsus et immensus*: 2.° In Conc. Lateran. IV. definitur: *Firmiter credimus... quod unus solus est verus Deus, æternus et immensus...* 3.° Immensitas est perfectio simpliciter simplex: ergo, &c.

Q. 6. Utrum Deus sit ubique per potentiam? *R. Affirm.* Nam, ex Apostolo (1. *ad Cor.* 11.) *Deus omnia operatur in omnibus*: ergo.

Q. 7. An Deus sit ubique per præsentiam? *R. Affirm.* Nam Apost. (*ad Hebr.* 4.) dicit:

Digitized by Google

Omnia nuda, et aperta sunt oculis ejus: ergo.

Q. 8. An Deus sit ubique per substantiam? *Nota*: Tripliciter res potest esse in loco per substantiam, 1.° *Circumscriptive*, quando res per diversas sui partes, respondit totidem loci partibus, ita ut ulterius non extendatur: hic existendi modus convenit solis corporibus... 2.° *Definitive*, quando res tota est in toto, et tota in qualibet parte loci, ita ut existentia locati non excedat locum: hic existendi modus convenit spiritibus finitis... 3.° *Repletive*, quando res tota est in toto loco, et tota in qualibet parte loci, nec à loco definitur, sed est ubique. His notatis.

R. Affirm. Nam 1.° *Jerem.* 23. Deus dicit: *Numquid et cœlum et terram ego impleo*? Et *Psalm. 138. Quo ibo à spiritu tuo, et quo à facie tua fugiam? si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades:* ergo cum Deus sit in cœlo substantialiter, est etiam in aliis locis substantialiter.... 2.° Deus est ubique per operationem, ut ipsi fatentur Sociniani: *ergo* est ubique per substantiam; nam in Deo operatio entitative sumpta idem est cum illius substantia.

Obj. 1.° Scriptura passim asserit Deum esse in cœlo, non autem in terris, nam dicitur in *Psalm. 113. Deus autem noster in cœlo. Cœlum cœli Domino, terram autem dedit*

Digitized by Google

filiis hominum: ergo. *Dist. ant.* Asserit, Deum esse in cœlo, quoad peculiarem modum manifestandæ suæ gloriæ, *conc.* quasi unicum sit ejus domicilium, *nego ant.*

Obj. 2.° SS. Patres passim negant, Deum esse in loco: ergo.... *Dist. ant.* Negant, Deum esse in loco circumscriptive, aut definitive, *conc.* repletive, *nego ant.* Responsio patet ex supra dictis.

Obj. 3.° Horrendum est dicere, Deum esse in dæmonibus, damnatis, in locis fœtidissimis: *ergo* non est ubique.... *Nego ant.* Nam purus spiritus incapax est, quin sordibus locorum, ubi est, inquinetur; nec magis iis inquinatur Deus, quam sol, dum easdem fœditates perlustrat radiis suis, et anima, dum est in corpore leproso.

Obj. 4.° Scriptura et SS. PP. passim innuunt, Deum non esse in rebus, nisi per suam actionem, sic *Act. 17.* dicitur: *Non longe est ab unoquoque nostrum: in ipso enim vivimus, movemur, et sumus.* D. Joan. Damasc. (lib. 1. Orthod. fidei cap. 16.) ait: *Ibi locus Dei esse asseritur, ubi perspicua ejus operatio existit. Nego ant.* Nam duntaxat præsentiam Dei substantialem ex ejus operatione, quæ à substantia non distinguitur, colligunt.

Inst. Ex actione ejus, qui potest agere in distans, non potest colligi præsentia substantialis; *atqui* Deus, utpote omnipotens,

Digitized by Google

potest agere in distans: *ergo*, &c. *Neg. min.* Repugnat enim, aliquam causam agere in distans; quia omnis causa debet effectum contingere, vel per se, vel per virtutem suam; porro virtus Dei est ipsamet substantia Dei: *ergo.*

Q. 9. Utrum Deus sit substantialiter extra mundum? *Nota*: Dupliciter potest Deus intelligi esse extra mundum, 1.° *Positive*, si illic sit tanquam in spatio reali, cui coexistat. 2.° *Negative*, si illic existat, sed non extra se, nec cum ulla ad locum coexistentia, et connotatione. Itaque. *R.* 1.° Deus est extra mundum *negative*, aliàs cœlorum ambitu coarctaretur; *atqui* non potest cœlorum ambitu coarctari, de quo 3. *Reg.* 8. dicitur *Cœlum et cœli cœlorum te capere non possunt*: ergo. *R.* 2.° Deus non est extra mundum *positive*, quia illic non est tanquam in spatio reali, cui coexistat; sed ibi est in se ipso, quomodo jam erat, antequam mundus fieret. Unde Poeta canit:

Dic, ubi tunc esset, cum præter eum nihil esset;
Tunc ubi nunc, in se: quoniam sibi sufficit ipse.

Q. 10. Quotuplex distinguitur bonitas? *R.* Triplex, nimirum, *absoluta*, quæ est plenitudo essendi rei: *Relativa*, quæ est perfectio entis conveniens alteri, ab eoque appetibilis: Et *moralis*, quæ est perfecta sanctitas.

Digitized by Google

Q. 11. Utrum Deus sit bonus triplici illa bonitate? *R. Affirm.* Nam 1.° est summe perfectus: est enim ens, quo nihil melius ac perfectius excogitari potest.... 2.° Est summe conveniens creaturis, ab eisque appetibilis, cum omnes earum perfectiones sint participationes divini illius esse... 3.° Est perfecte sanctus, nam *Psal. 144.* dicitur: *Sanctus est in omnibus operibus suis.*

Q. 12. Utrum Deus sit bonus per essentiam? *R. Affirm.* Nam ille est bonus per essentiam, qui habet bonitatem vi essentiæ suæ solius, et independenter à quocumque alio: atqui talis est Deus: *ergo.* Quare Christus, *Luc. 18.* dixit: *Nemo bonus, nisi solus Deus,* nempe per essentiam, cum tamen creaturæ sint bonæ per participationem.

Obj. Deus non est summe bonus; *ergo* non est bonus per essentiam. *Prob. ant.* Quod est summe bonum, debet se summe diffundere, cum bonum sit sui diffusivum; *atqui* Deus non se summe diffundit: ergo. *Dist. min.* Non se summe diffundit ad intra, *nego*; ad extra, *subdist.* propter conditionem creaturæ, *conc.* propter defectum bonitatis infinitæ ex parte Dei, *nego min.* Summa itaque bonitas non potest, nisi personæ divinæ, summe communicari, quomodo ad intra communicatur Spiritui sancto in ejus pruductione.

Instab. Si Deus sit summum in quocumque genere bonum, debet excludere omne

Digitized by Google

malum, tum à se, tum à quocumque alio ente; *atqui* non excludit: ergo. *Dist. maj.* Debet excludere omne malum, si illud summum agat necessario, ut agit ignis, *conc.* si agat libere, ut agit Deus ad extra, *nego maj.*

CAPUT VII.

De intellectu et scientia Dei.

§. I.

De existentia, proprietatibus, et divisione scientiæ Dei.

Q. 1. Utrum sit scientia in Deo? *R. Affirm.* Nam Esther 14. dicitur: *Domine qui habes omnium scientiam*; ratio est quia scientia est perfectio simpliciter simplex, quæ est melior ipsa quam non ipsa.

Obj. 1.° Scientia est accidens: ergo.... *Dist.* Est accidens in creaturis, *conc.* in Deo, *nego ant.* Nam in Deo non distinguitur ab essentia.

Obj. 2.° Scientia proprie dicta est discursiva; *atqui* cognitio discursiva repugnat Deo: ergo. *Dist. maj.* Est discursiva, spectata in homine, *conc.* spectata in seipsa, *nego maj.* Discursus itaque non pertinet ad essentiam scientiæ; est enim tantum ejus defectus et imperfectio, unde excluditur à Deo, qui

Digitized by Google

uno et simplicissimo actu omnia simul pervadit et penetrat.

Q. 2. Qualis sit scientia Dei? *R.* 1.° Est *infinita*, cum extensive, quia omnia cognoscit; tum intensive, quia ejus cognitio est certissima, evidentissima et omnium comprehensiva.. 2.° Est *æterna*, quia nunquam habuit initium, nunquam fuit interrupta, nunquam finem habitura est... 3.° Est *immutabilis*, quia non est quid realiter et entitative distinctum à Deo, cum sit Deus ipse, ut fides docet.

Q. 3. Quotuplex sit in Deo scientia? *R.* Unica est realiter, quæ est ipse Deus; tamen propter multiplicem ordinem quem dicit ad varia objecta ad quæ se extendit, multiplex à Theologis cum fundamento assignatur scientiæ Dei divisio. Nam 1.° *Dividitur* in scientiam *necessariam*, quæ versatur circa Deum et res possibiles, quæ non possunt aliter se habere: Et *liberam*, quæ versatur circa creaturas, vel præteritas, vel existentes, vel aliquando futuras.

2.° In *speculativam*, quæ in sui objecti consideratione quiescit; et *practicam*, qua Deus res creatas producit. 3.° In scientiam *simplicis intelligentiæ*, qua Deus cognoscit res mere possibiles; in scientiam *visionis*, qua Deus cognoscit res, vel existentes, vel aliquando futuras; et in scientiam *futurorum sub conditione*, qua Deus cognoscit res, quæ nunquam evenient; sed tamen evenirent, si

Digitized by Google

quædam conditio poneretur, sive postea ponatur, sive non.

§. II.

De scientia simplicis intelligentiæ.

Q. 1. Utrum Deus omnes creaturas possibiles certo cognoscat secundum esse eminens quod habent in Deo? *R. Affirm.* Nam Deus perfecte comprehendit suam omnipotentiam: *ergo* perfecte cognoscit ea omnia, ad quæ potest sese extendere; *atqui* se extendit ad omnia possibilia: *ergo*.

Q. 2. Utrum Deus possibilia videat, etiam secundum esse proprium et formale quod haberent in seipsis, si producerentur? *R. Affirm.* Quia sic considerata habent verum esse; nec ille modus videndi ullam in Deo importat imperfectionem, nec excludit perfectiorem videndi modum, in essentia nimirum tanquam in causa: *ergo*.

Q. 3. Quo in medio Deus videt res possibiles? *R.* Eas videt 1.° *in sua essentia tanquam in causa earum effectrice*: nam Deus comprehendit suam essentiam: *ergo* eam cognoscit, tum secundum quod est in se, tum secundum id ad quod potest se extendere; *sed* qui divinam essentiam sic cognoscit, in ea videt res possibiles: *ergo*, &c... 2.° Eas videt *in seipsis, prout in essentia divina*,

Digitized by Google

tanquam in specie intelligibili, repræsentantur; quia in essentia divina reperitur ratio speciei illarum intelligibilis.

Obj. Contra primam partem: Deus non prius cognoscit suam essentiam, prout est causa rerum effectrix, quam res possibiles: *ergo* essentia, sic considerata, non est medium cognitionis divinæ. *Dist. ant.* Non prius cognoscit tempore, *conc.* ratione, *nego ant.* Itaque non prius cognoscit tempore, quia cognoscendo suam essentiam, simul et eodem instanti, per eandem cognitionem, cognoscit res possibiles, propter connexionem, quam habet cum illis. Verum prius ratione cognoscit suam essentiam, quam res possibiles, quia essentia est ratio cognoscendi res possibiles per eundem cognitionis actum, ita ut essentia per se directe et immediate concipiatur cognosci; res possibiles vero non nisi mediate, indirecte et per aliud.

Obj. Contra secundam partem: Res possibiles in seipsis non sunt: *ergo* Deus eas non potest cognoscere in seipsis. *Dist. ant.* In seipsis non sunt formaliter, *conc.* objective, *nego ant.* Equidem possibilia esse proprium non habent actu, sed possunt habere, et reipsa haberent, si producerentur; Deus autem res, quas producere potest, cognoscit, et quidem secundum esse eorum proprium, non quod habent, sed quod haberent, si producerentur.

Digitized by Google

§. III.

De scientia visionis.

Q. 1. Utrum Deus seipsum videat comprehensive? *R. Affirm.* Nam seipsum tantum cognoscit, quantum cognoscibilis est: *ergo*, &c.

Q. 2. Utrum Deus certo cognoscat omnia præsentia et præterita, ac etiam occultas cordis cogitationes? *R.* Cognoscit, et quidem sigillatim ut sunt in seipsis; nam illa omnia sunt cognoscibilia: *ergo* cognoscuntur à Deo qui habet scientiam infinitam. Unde, *Eccl.* 23. dicitur: *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum... et hominum corda intuentes in absconditas partes.*

Q. 3. Quo in medio Deus videat seipsum? *R.* Videt seipsum per suam essentiam absque ullo medio; quia nihil prius est essentia divina in quo ipsa videatur.

Q. 4. Quo in medio Deus videat entia præsentia et præterita? *R.* Videt tum in seipsis, tum in sua essentia tanquam in specie intelligibili, in qua, tanquam in speculo, repræsentatur realis eorum existentia.

Q. 5. Quo in medio Deus videat peccata? *R.* Videt in forma quæ illis est opposita, *sicut per lucem cognoscuntur tenebræ*, ait D. Thom. hic.

Digitized by Google

Q. 6. Utrum Deus omnia et singula futura contingentia libera absolute cognoscat? *R.* Certissime cognoscit; nam 1.° id testatur Script. dicitur enim Ps. 138. *Intellexisti cogitationes meas de longe... et omnes vias meas prævidisti...* 2.° Deus multas actiones hominum futuras prædixit... 3.° Quia aliàs Deus nec infinitus, nec immutabilis esset, nam multas de novo cognitiones acquireret.

Obj. 1.° Deus prædicens futura libera, utitur his particulis, *forte*, *forsitam*: ergo illa certo non novit. *Nego conseq.* Nam illæ particulæ in Deo non sunt verba dubitantis, sed increpantis, ut docet D. Aug. (*tract. 37. in Joan.*) Unde idem significant ac, *utique*.

Obj. 2.° Præscientia futurorum stare non potest cum libertate hominis; nam quod Deus prævidit, necessario eveniet; *ergo*. *Dist. probat.* Necessario eveniet, necessitate hypothetica et consequente liberam creatæ voluntatis determinationem, *conc.* necessitate absoluta et antecedente liberam creatæ voluntatis determinationem, *nego ant.* Unde Div. Augst. (*lib. 3. de lib. arb. c. 4.*) ait: *Sicut tu memoria tua non cogis facta esse quæ præterierunt; sic Deus prescientia sua non cogit facienda quæ futura sunt.*

Obj. 3.° Si actio à Deo prævisa sit infallibiliter futura, frustraneæ sunt consultationes et deliberationes; falsum conseq. *ergo*, &c. *Nego seq. maj.* Nam Deus non aliter res fu-

Digitized by Google

turas prænoscit, quam per causas per quas futuræ sunt; *atqui* inter causas rerum numerantur consultationes et deliberationes: *ergo*, &c.

Inst. Vel Deus prævidit, me salvum fore, vel damnandum; *si primum*, quidquid egero, sive bonum, sive malum, salvus ero; *si secundum*, quidquid egero, damnabor: *ergo*, posita præscientia, frustraneæ sunt consultationes, &c. *Dist. ant.* Deus prævidit me salvum fore, vel damnandum, propter bona, vel mala opera mea, eaque libera, *conc.* independenter à bonis vel malis operibus meis liberis, *nego ant.* Nempe non nisi per bona opera obtinendam esse salutem æternam, præordinavit Deus; quæ si fiant, Deus obtinendam salutem prævidet; si vero non fiant, salutem non obtinendam Deus prævidet; unde nullam necessitatem rebus futuris imponit præscientia Dei.

Q. 7. Utrum Deus libera absolute futura videat in reali eorum cum æternitate coexistentia? *R. Negat.* Nam ab æterno non existunt, aliàs essent futura, ut supponitur, et non essent futura, quia essent æterna: *ergo* ab æterno non coexistunt æternitati realiter; siquidem coexistere nihil aliud est, quam simul cum alio realiter existere.

Obj. 1.° Æternitas complectitur omnia omnino tempora, præsentia, præterita et futura: nam est infinita et indivisibilis dura-

Digitized by Google

tio: *ergo*, &c. *Dist. ant.* Complectitur omnia tempora, quæ existunt, *conc.* quæ non existunt, *nego ant.* Porro futura non existunt actu: *ergo* non coexistunt æternitati, sed coexistent, quando erunt actu.

Inst. Quod coexistet rei quæ est tota simul, jam et coexistit; *atqui* futura coexistunt æternitati, quæ est tota simul: *ergo*, &c. *Nego maj.* Quia licet æternitas sit tota simul; tamen virtualiter est extensa, et durationi infinitas partes sibi succedentes habenti æquipollet; et ideo quod finitam durationem habet, æternitati secundum ejus totam entitatem respondet quidem, non vero secundum omnes ejus partes virtuales; nec proinde dici potest illi ab æterno coexistere.

Obj. 2.° SS. Patres et Scholæ Magistri docent, Deo nihil esse futurum, sed omnia præsentia: *ergo*, &c. *Dist. ant.* Docent Deo nihil esse futurum quoad cognitionem, *conc.* quoad realem existentiam, *nego ant.* Unde Div. Augustin. sese explicans: (*lib. 5. de Genesi ad litteram, cap. 11.*) dicit: *Antequam fierent, et erant, et non erant; erant in Dei scientia, non erant in sua natura.*

Q. 8. Utrum Deus videat libera absolute futura in proximis eorum causis in actu primo consideratis? *R. Negat.* Nam causa libera, nempe voluntas etiam proxime ad agendum disposita, non habet infallibilem

Digitized by Google

connexionem cum effectu futuro libero, cum, positis omnibus ad agendum prærequisitis, adhuc maneat indifferens ad agendum vel non agendum: *ergo* effectus non potest in sua causa certo cognosci.

Q. 9. Utrum Deus futura libera absoluta cognoscat in suis decretis absolutis physice præmoventibus? *R. Negat.* Nam illa decreta non satis cum dogmate catholico circa humanam libertatem cohærere videntur, cum iis positis actiones nostræ non sint in nostra potestate; quotiescumque enim aliquod prævium et antecedens non est in nostra potestate, nec à nobis impedibile, toties effectus, qui ex illo sequitur, non est in nostra potestate; *atqui* decretum absolutum et physice præmovens: 1.° non est in nostra potestate, cum, ex adversariis, sit ante omnem prævisionem determinationis voluntatis nostræ ad agendum: 2.° non est à nobis impedibile, cum ex iisdem, motione ineluctabili et insuperabili applicet voluntatem ad actum: *ergo* actio consequens ex illo decreto non est in nostra potestate.

Q. 10. In quo ergo medio Deus videat futura libera absoluta? *R.* Ea videt, 1.° in seipsis objective et terminative, id est, in determinata eorum veritate; nam futura libera habent veritatem per se cognoscibilem: unumquodque enim, eo ipso quo est, et eo modo quo est, seu præsens, seu præteritum,

Digitized by Google

cum libertate hominis, ut supra probatum est... 2.° Quia Christus (Matth. 11.) objurgat Judæos præ Tyriis, quod non egerint pœnitentiam, quam egissent Tyrii, si habuissent eadem gratiæ, tum externæ tum internæ auxilia, quæ habuerunt Judæi; *atqui* si Christus non novit conversionem Tyriorum, nisi dependenter è decreto absoluto ex parte sui, hæc objurgatio, Judæis facta per Tyriis, non esset justa: nam Judæi, in doctrina prædeterminantium, destituti sunt auxilio prædeterminante, absolute necessario ad agendam pœnitentiam, et quo posito repugnat non agi pœnitentiam: Tyrii vere illud habuissent: *ergo* Judæi injuste à Christo objurgati fuissent præ Tyriis, quod dicere nefas est...

3.° Quia per decreta absoluta ex parte subjecti, et conditionata ex parte objecti, Deus absolute statueret fieri, quod non fieri absolute decernit, statuendo nimirum conditionem, sine qua non possunt fieri, nunquam esse ponendam: v. g. *Statuo, Tyrios pœnitentiam acturos, si apud ipsos fierent miracula quæ facta sunt apud Judæos; sed simul statuo, talia miracula apud ipsos nunquam operari;* atqui hic modus operandi est inanis, et majestatis divinæ omnino indignus: *ergo*... 4.° Si admitterentur decreta prædeterminantia, Deus nihil videret ante suum decretum; *atqui* hoc falsum est ex D.

Digitized by Google

August. (*lib. de prædest. sanctor.*) dicente: *Prædestinatio*, id est, absoluta prædefinitio est quæ sine præscientia *esse non potest: potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præscivit quæ fuerat ipse faeturus: unde dictum est, fecit quæ futura sunt. Præscire autem potens est etiam quæ ipse non facit, sicut quæcumque peccata...* 5.° Si admitterentur decreta prædeterminantia, Deus æque prædefiniret peccata conditionate futura, ac omnes alios actus creaturarum, et sic esset causa et auctor peccati.

Resp. Thomistæ; Deum prædefinire entitatem actus peccaminosi, non vero malitiam actus, quam aversatur et prohibet. Sed: *Contra est* 1.° Quia non potest intelligi prædeterminatio ad entitatem actus peccaminosi, quin sit prædeterminatio ad malitiam actus, seu ad actum ut malus est. Nam quisquis est auctor actus, cui annexa est malitia, ad eumque prædeterminet secundum entitatem, is quoque ad eum prædeterminat, ut malus est. *Contra est* 2.° Quia si Deus præmovendo creaturam liberam ad entitatem peccati, non præmoveret ad ejusdem malitiam, nihil esset in quo Deus videre posset peccati malitiam; *atqui* illam certo cognoscit, ut docet D. Aug. supra citatus: *ergo*.

Resp. Deum cognoscere peccata in suo de-

Digitized by Google

creto permissivo. *Sed hoc falsum est*; nam decretum illud permissivum, vel supponeret prævisionem peccati, si illud permitteret et ad illud concurrere paratus esset, vel non supponeret. *Si primum*, esset eadem sententia, quæ nostra. *Si secundum*, decretum illud permissivum diceret voluntatem negandi, etiam justis, auxilium necessarium ad peccatum vitandum, ex quo necessario sequeretur peccatum, quo durius nihil, nihil à voluntate divina alienum magis.

Obj. 1.° Vera et sincera voluntas Dei antecedens salvandi omnes est absoluta ex parte Dei, et conditionata ex parte creaturæ: *ergo* decreta absoluta ex parte subjecti et conditionata ex parte objecti, non sunt rejicienda. *Dist. conseq.* Non sunt rejicienda, quando conditio pendet à sola creatura, quomodo in hac prop. *Deus vult omnes homines salvos fieri, si illi mandatis obtemperaverint*, conditio pendet à sola creatura, cum Deus, quantum est ex se, omnibus det, aut saltem offerat media quæ sunt ad salutem consequendam necessaria, *conc.* quando conditio pendet à solo Deo, aut saltem partim à Deo, partim à creatura, nec Deus ex sua parte conditionem illam vult implere, *nego conseq.* Illa enim decreta sunt ludrica et superflua, et consequenter majestatis divinæ indigna.

Obj. 2.° Voluntas creata ex se est indiffe-

Digitized by Google

rens et indeterminata: *ergo* debet determinari à Deo. *Nego conseq.* Nam causa secunda libera, seipsam in actu secundo determinat quantum ad exercitium, quatenus sic agit, ut possit non agere, alias non esset libera.

Q. 13. Quo in medio Deus videat libera conditionate futura? *R.* Ea videt, 1.° in seipsis: 2.° in essentia sua tanquam in specie intelligibili, eodem modo, quo *quæst.* 10. diximus, Deum videre libera absolute futura: eædem enim rationes valent pro liberis sub conditione futuris.

Q. 14. Per quam scientiam Deus videat libera sub conditione futura? *R.* Per scientiam mediam, in qua includitur Dei decretum de futuritione rei ponendum, tanquam pars conditionis sub qua res esset futura, et ut talis prænoscitur.

Prob. 1.° Quia scientia media est *certa, et infallibilis cognitio actuum liberorum sub conditione futurorum, independens ab omni decreto Dei absoluto, eoque anterior*; atqui Deus per talem scientiam cognoscit libera sub conditione futura: *ergo*, &c.... *Prob. min.* Deus certo et infallibiliter noscit quomodo quisque sit vocandus, ut vocantem non respuat, non reluctetur, sed vocationi divinæ obtemperet, ut docent D. August. (lib. 1. ad Simplic. q. 2.) *Cujus autem misereatur*, inquit, *sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.*

Digitized by Google

Et D. Chrysost. (*Hom. 71. in Matth.*) qui quærens cur Christus Matthæum *non cum Petro simul ac Joanne et aliis discipulis vocâvit?* Respondent: *Certo quemadmodum tunc ad illos accessit, vocavitque quando obtemperaturos sciebat; sic Matthæum quoque tunc vocavit quando miraculorum fama perdomitum, minime reluctaturum videbat. Qua de causa etiam Paulum post resurrectionem piscatus est;* atqui illa cognitio est scientia conditionata, per quam Deus, antecedenter ad omne decretum absolutum, infallibiliter novit, talem hominem libere consensurum, si tali, aut tali vocatione præveniatur: *ergo* datur in Deo scientia media, &c.

Prob. 2.° Si libera sub conditione futura, ex decretis ex parte Dei absolutis, suam haberent futuritionem, præscientia Dei non præsupponeretur decretis Dei actualibus et absolutis; *atqui* ex PP. præscientia Dei, decretis ejusdem actualibus et absolutis præsupponitur: *Non propterea erit aliquid, quia id scit Deus futurum, sed quia futurum est, scitur à Deo antequam fiat,* ait Orig. (in c. 8. Ep. ad Rom.) *Et quidem præscientia Dei vera atque inculpabilis est,* inquit D. Joan. Dam. lib. adversus Manichæos, *verum ipsa haudquaquam causa est, cur omnino fiat quod futurum est, sed quia hoc, vel illud facturi sumus, ideo*

Digitized by Google

prænoscit. Et D. Th. (*3. p. a. 3. ad 4.*) ait: *Prædestinatio*, id est, absoluta prædefinitio *supponit præscientiam futurorum.* Nihil certe clarius.

Obj. Nihil omnino futurum est independenter à Dei decreto: *ergo* Deus non cognoscit futura sub conditione independenter à decreto. *Dist. ant.* Independenter à Dei decreto absoluto vel conditionato, *conc.* semper absoluto, *nego ant.* Nempe ante decretum nihil vere est futurum, verum decretum debet proportionari naturæ et conditioni rei futuræ: si res sit absolute futura, admittendum est decretum absolutum, non quidem antecedens prævisionem rei futuræ sub conditione, sed subsequens; si vero res sit futura duntaxat sub conditione nunquam ponenda, sufficit decretum conditionatum, quod sit pars conditionis sub qua res futura prænoscitur.

Inst. 1.° Ut actus sit conditionate futurus, debet extrahi è statu meræ possibilitatis ad statum futuritionis; *atqui* ad hoc requiritur decretum absolutum ex parte subjecti, et conditionatum ex parte objecti: *ergo*, &c. *R.* Transeat maj. et *nego min.* Nam ut aliquid è statu meræ possibilitatis extrahatur ad statum conditionatæ rei futuritionis, sufficit decretum conditionate ponendum, quod includitur in ipsa conditione.

Dixi: *Transeat major.* Quæ posset nega-

ri, quia actus sub conditione futurus non est vere futurus, sed solum esset futurus si poneretur aliqua conditio, ad quod non requiritur ut actus ab uno statu extrahatur ad alium; sed sufficit ut habeat veritatem objectivam, vi cujus de illo dici potest, *esset, si poneretur talis conditio:* veritas autem objectiva non pendet ab ullo decreto actuali.

Inst. 2.° Futurum sub conditione habet aliquid, quod non habet mere possibile: *ergo* è statu possibili est extractum. *Dist. ant.* Habet aliquid objective, *conc.* entitative, *nego ant.* Itaque res sub conditione futura nullam habet entitatem actualem aut futuram, sed solum haberet, si poneretur aliqua conditio: unde rei mere possibili superaddit solummodo veritatem objectivam, quatenus de ea dici potest, non solum quod posset esse, sed etiam quod esset, si poneretur aliqua conditio, quod dici non potest de re mere possibili. *Cæteras* objectiones vide tom. 1. ubi hæc conclusio fusius est tractata.

Q. 15. Utrum scientia Dei sit causa rerum? *R.* Est directiva, quia suppeditat ideas, ad quas factæ sunt res quæ ex nihilo eductæ sunt.

Q. 16. Quænam Dei scientia sit causa rerum? *R.* 1.° Non est scientia visionis: nam versatur circa res jam productas pro aliqua

Digitized by Google

temporis differentia: *ergo* non potest dirigere potentiam executricem ad illas producendas. *R.* 2.° Est scientia simplicis intelligentiæ; nam Deo essentias et proprietates rerum omnium possibilium repræsentando, proponit modum quo fieri possunt: *ergo* Deum dirigit ad operandum.

Q. 17. Quotuplex sit idea? *R.* Duplex, objectiva nempe et formalis: *Idea objectiva* est forma quædam, seu exemplar in mente artificis existens, ad cujus imitationem extra se operatur.... *Formalis* vero est cognitio formæ, seu exemplaris, quod artifex sibi in suo opere exprimendum proponit.

Q. 18. An sint in Deo ideæ? *R. Affirmat.* Nam Deus operatur sciens et volens: *ergo* habet ideas rerum omnium, quas producit conformes illis ideis.

Q. 19. An plures sint in Deo ideæ? *R.* 1.° Est unica idea formalis: quia in Deo unica est rerum omnium cognitio. *R.* 2.° In Deo sunt plures ideæ objectivæ: nam idea objectiva est forma in mente divina existens, ad quam Deus respiciens omnia entia producit, vel producere potest; *sed* illa entia sunt plura: *ergo* et illorum ideæ.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De Voluntate Dei.

Q. 1. An sit in Deo voluntas? *R. Affirm.* Nam Christus Matth. 6. dicit Patri: *Fiat voluntas tua.* Ratio est, quia voluntas est perfectio simpliciter simplex.

Q. 2. Quotuplex est in Deo voluntas? *R.* A parte rei unica est, quemadmodum est unica natura, à qua est indistincta: tamen secundum nostrum concipiendi modum, multiplex est.

Q. 3. Quomodo voluntas Dei dividitur nostro concipiendi modo? *R.* Dividitur in voluntatem beneplaciti, et voluntatem signi.

Q. 4. Quid sit voluntas beneplaciti? *R.* Est ipsa Dei volitio qua aliquid vult, vel non vult. Hæc est proprie dicta voluntas, Deo intrinseca.

Q. 5. Quid sit voluntas signi? *R.* Est signum quoddam externum declarans Dei volitionem; sic mandata Dei dicuntur voluntas Dei, ex Matth. 12. *Qui facit voluntatem Patris mei, ipse intrabit in regnum cœlorum,* id est, qui servat mandata Dei, quæ sunt signa voluntatis beneplaciti Dei. Hæc voluntas signi est metaphorica, Deoque extrinseca.

Q. 6. Quotuplex est voluntas signi? *R.* Quintuplex, scilicet, præceptum, prohibi-

Digitized by Google

tio, permissio, consilium, et operatio, juxta hunc versum:

Præcipit, et prohibet, permittit, consulit, implet.

Q. 7. Quomodo dividitur voluntas beneplaciti? *R.* Dividitur 1.° In antecedentem et consequentem. *Voluntas antecedens* est ea, qua Deus aliquid vult secundum se spectatum, abstrahendo à circumstantiis quæ illi adjungi possunt: hac voluntate vult omnes homines salvos fieri, quia hoc in se bonum est: *Consequens* vero, qua Deus aliquid vult simpliciter et absolute, spectatis omnibus circumstantiis particularibus: hac voluntate vult hominem, in impœnitentia finali morientem, damnari.

Dividitur 2.° In absolutam et conditionatam. *Voluntas absoluta* est ea, quæ à nulla conditione pendet, talis est voluntas de mundo condendo: hæc semper est efficax: *Conditionata* vero, quæ ex aliqua conditione pendet. Unde non semper est efficax, quia non semper ponitur conditio requisita.

Q. 8. Utrum voluntas Dei sit causa rerum imperans? *R. Affirm.* Nam Psal. 113. dicitur: *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit.* Et Ephes. 1. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.*

Q. 9. Utrum voluntas Dei semper impleatur? *R.* 1.° Voluntas signi non semper im-

Digitized by Google

pletur, nam multi contemnunt Dei consilia, et ejus mandatis non obediunt. Ex Prov. 1. *Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis.* R. 2.° Voluntas Dei antecedens non semper impletur: nam hac voluntate *vult omnes homines salvos fieri.* 1.ª ad Timoth. 2. sed non omnes salvantur, quia conditionem quæ à Deo simul et à libera hominis cooperatione pendet, homines ex sua parte non implent: *ergo*, &c. R. 3.° Voluntas Dei consequens semper impletur: de ea nimirum intelligi debent hæc Psalm. 123. verba: *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit:* necnon et ista ipsius Dei apud Isaiam 46. *Omnis voluntas mea fiet.*

Obj. Non potest conciliari humana libertas cum absoluta Dei voluntate circa liberas nostras actiones; ergo. *Nego ant.* Quia volutas Dei absoluta circa liberas hominis actiones supponit liberam hominis determinationem à Deo conditionate prævisam; qua præsupposita, Deus pro suo beneplacito, absolute decernit hanc actionem; quare vocatur *voluntas consequens.*

Q. 10. Utrum voluntas Dei sit libera? R. Est vere et proprie libera circa creaturas: nam Psalm. 113. legitur *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit.* Et Psal. 93. *Deus ultionum libere egit.* Ratio est, quia libertas est perfectio simpliciter simplex.

Digitized by Google

Obj. Vera libertas dicit indifferentiam ad agendum vel non agendum; *atqui* Deus non habet hanc indifferentiam: ergo. *Prob. min.* Deus semper fuit determinatus ad agendum vel non agendum: *ergo* non est indifferens ad agendum vel non agendum. *Dist. conseq.* Non est indifferens indifferentia passiva, qua possit novum actum immanentem producere ac in se recipere: item non est indifferens indifferentia suspensionis, qua, ancepe consilii, quid agat non decreverit, *conc.* non est indifferens indifferentia activa, quæ est vis ad agendum vel non agendum, ei competens, qui ad certum quid agendum non alligatur, *nego conseq.*

Q. 11. In quo posita sit libertas divinæ voluntatis? *R.* In entitate divinæ voluntatis; quatenus pro nutu intrinsece connotat objecta extra se posita: nam ad libertatem Dei duo requiruntur; 1. Ut sit perfectio quædam Deo intrinseca; 2. Ut dicat indifferentiam activam; *atqui* in nostra sententia; 1.° Actus Dei liber est perfectio Deo intrinseca, cum sit ipsamet divina voluntas; 2.° Dicit indifferentiam activam, cum ita connotet creaturas, ad quas terminatur, ut potuerit illas non connotare: *ergo.*

Obj. Idem non potest esse necessarium simul et liberum; *sed* actus divinæ voluntatis est necessarius: ergo. *Dist. maj.* Sub eodem respectu *conc.* sub diverso, *nego maj.*

Digitized by Google

Porro actus divinæ voluntatis est necessarius quoad entitatem; liber vero quoad terminationem ad creaturas.

Q. 12. Utrum Deus sit omnipotens? *R. Affirm.* Nam Eccl. 1. dicitur: *Deus est altissimus, creator, omnipotens.* Et *Matth. 4.* Christus dicit: *Pater, omnia tibi possibilia sunt.* Ratio est, quia Deus est infinitus: *ergo* habet infinitam virtutem; *atqui* infinita virtus idem est ac omnipotentia: *ergo.*

Obj. Deus non potest facere alia ab eis quæ actu vult facere et facit: ergo. *Dist. ant.* De potentia ordinaria, *conc.* de potentia absoluta, *nego ant.* Potentia ordinaria spectatur cum decreto, vi cujus non potest facere nisi quæ statuit, cum nihil possit fieri sine decreto. Potentia absoluta spectatur seorsim à decreto; per hanc potest facere quidquid non implicat contradictionem.

Q. 13. Quodnam est objectum divinæ voluntatis? *R. Primarium*, est Deus ipse, quia est summum bonum, et ratio volendi cætera, juxta illud Prov. 16. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus... Secundarium* vero, sunt creaturæ, tum in aliqua temporis differentia existentes, tum mere possibiles, quia Deus vult id omne quod habet rationem boni; *atqui* creaturæ in aliqua temporis differentia existentes, habent bonitatem actualem participatam; possibiles vero habent bonitatem possibilem: *ergo* Deus

Digitized by Google

illas vult et amat: nam, *Deus vult.... ea quæ sunt, vel possunt esse bona*, ait D. Thom: (lib. 3. contra gentes, cap. 84.)

Q. 14. Utrum Deus amet necessario? *R.* 1.° Amat seipsum necessario, quia est summum bonum, clare et intuitive visum... 2.° Amat creaturas possibiles etiám necessario, si considerentur entitative, quia sic non distinguuntur à potentia divina... 3.° Creaturas in aliqua temporis differentia existentes amat libere, quia non sunt summum bonum.

Q. 15. Quo amore Deus amet? *R.* Seipsum amore *complacentiæ*; quia necessario sibi complacet in sua bonitate; sed non amore *benevolentiæ*, quia nihil suæ perfectioni addit per suam bonitatem. Deus creaturas in aliqua temporis differentia existentes amat amore *benevolentiæ*, et *efficaci*, quia illis libere vult, et confert aliquod bonum, nempe, esse, et conservari. Creaturas vero possibiles amat Deus amore *complacentiæ*, et *inefficaci*; sibi enim complacendo in earum possibilitate, nihil statuit circa earum existentiam.

Obj. Possibilia sunt pure nihil; *atqui* Deus non potest amare pure nihil: ergo. *Dist. maj.* Sunt pure nihil, in se, *conc.* in potentia Dei, in qua continentur, et à qua non distinguuntur, *nego maj.* Ideo quando Deus amat possibilia, amat suam omnipotentiam, in qua sibi complacere concipitur.

Digitized by Google

Q. 16. Utrum Deus velit mala naturæ, et pœnæ? *R.* Non ea vult *directe et per se* ratione ipsorum, quia qua talia non habent rationem boni; sed ea vult *indirecte et per accidens*, nimirum ratione alterius quod directe vult. Sic quia vult directe ut servetur naturæ ordo, vult indirecte defectus naturæ qui cum illo ordine conjunguntur; sic quia vult justitiam suam servari, vult irrogationem pœnæ, sine qua non potest justitia servari: hoc sensu Eccl. 3. dicitur: *Bona, et mala, vita, et mors, à Deo sunt.*

Q. 17. Utrum Deus velit mala culpæ? *R.* Nullo modo vult, juxta illud Psalm. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Unde Concil. Trident (*sess. 6. can. 6.*) definit: *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permissive solum... anathema sit.*

Obj. Exodi 9. dicitur, *induravitque Dominus cor Pharaonis*; atqui indurare cor hominis est velle ut peccet: ergo. *Dist. min.* Indurare positive, infundendo malitiam, *conc.* negat. substrahendo nimirum gratiam specialem et uberiorem propter peccata præterita, qua substracta, homo frequenter cadit, nec resurgit, *nego min.* Sic autem tantummodo Deus indurat.

Digitized by Google

APPENDIX.

De voluntate Dei circa salutem omnium, et morte Christi pro omnium salute.

Nota. Has duas quæstiones conjungimus, quia inter se ita connexæ sunt, ut separari à se invicem nullatenus possint. Circa quas. 1.° Non est quæstio, utrum Deus velit salvare omnes homines voluntate signi, aut voluntate simplicis complacentiæ otiosæ et sterilis... 2.° Utrum Christus, moriendo, sufficiens pretium ad salvandos omnes homines obtulerit; id enim fatentur omnes hæretici.

Sed quæstio est, 1.° Utrum Deus, antequam, secundum nostrum concipiendi modum, præviderit merita aut demerita hominum, omnes salvos fieri velit voluntate sincera et activa, conditionata tamen, nempe, modo in gratia moriantur.... 2.° Utrum Christus voluntate conditionata et antecedente voluerit omnibus et singulis hominibus ad salutem prodesse suum sanguinem, illumque in hunc finem Deo Patri obtulerit. Unde:

Q. 1. Utrum alios salvos fieri velit quam prædestinatos? *R.* Vult, et quidem vera et sincera voluntate beneplaciti, ut fides docet. Nam *Joann. 3.* dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum da-*

Digitized by Google

Q. 16. Utrum Deus velit mala naturæ, et pœnæ? *R.* Non ea vult *directe et per se* ratione ipsorum, quia qua talia non habent rationem boni; sed ea vult *indirecte et per accidens*, nimirum ratione alterius quod directe vult. Sic quia vult directe ut servetur naturæ ordo, vult indirecte defectus naturæ qui cum illo ordine conjunguntur; sic quia vult justitiam suam servari, vult irrogationem pœnæ, sine qua non potest justitia servari: hoc sensu Eccl. 3. dicitur: *Bona, et mala, vita, et mors, à Deo sunt.*

Q. 17. Utrum Deus velit mala culpæ? *R.* Nullo modo vult, juxta illud Psalm. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Unde Concil. Trident (*sess. 6. can. 6.*) definit: *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permissive solum... anathema sit.*

Obj. Exodi 9. dicitur, *induravitque Dominus cor Pharaonis*; atqui indurare cor hominis est velle ut peccet: ergo. *Dist. min.* Indurare positive, infundendo malitiam, *conc.* negat. substrahendo nimirum gratiam specialem et uberiorem propter peccata præterita, qua substracta, homo frequenter cadit, nec resurgit, *nego min.* Sic autem tantummodo Deus indurat.

Digitized by Google

APPENDIX.

De voluntate Dei circa salutem omnium, et morte Christi pro omnium salute.

Nota. Has duas quæstiones conjungimus, quia inter se ita connexæ sunt, ut separari à se invicem nullatenus possint. Circa quas. 1.° Non est quæstio, utrum Deus velit salvare omnes homines voluntate signi, aut voluntate simplicis complacentiæ otiosæ et sterilis... 2.° Utrum Christus, moriendo, sufficiens pretium ad salvandos omnes homines obtulerit: id enim fatentur omnes hæretici.

Sed quæstio est, 1.° Utrum Deus, antequam, secundum nostrum concipiendi modum, prævideret merita aut demerita hominum, omnes salvos fieri velit voluntate sincera et activa, conditionata tamen, nempe, modo in gratia moriantur.... 2.° Utrum Christus voluntate conditionata et antecedente voluerit omnibus et singulis hominibus ad salutem prodesse suum sanguinem, illumque in hunc finem Deo Patri obtulerit. Unde:

Q. 1. Utrum alios salvos fieri velit quam prædestinatos? *R.* Vult, et quidem vera et sincera voluntate beneplaciti, ut fides docet. Nam *Joann. 3.* dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum da-*

Digitized by Google

ret, ut omnis qui credit in eum, non pereat sed habeat vitam æternam; Atqui tamen non omnes, qui credunt in Christum, sunt prædestinati: *ergo....* 2.° Fuit in Deo vera et sincera voluntas salvandi Apostolos: *Hæc est voluntas ejus qui misit me, Patris*, ait Christus, Joann. 6. *ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die*; Atqui tamen Judas, qui erat unus ex eis, non erat prædestinatus; *Quos dedisti mihi, custodivi*, ait Christus, Joann. 17. *et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis*: ergo.

Q. 2. Utrum Deus velit sincere salutem omnium omnino hominum, nullo dempto? *R. Affirm.* Nam 1. Apostolus (2. *ad Tim.* 2.) ait: *Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*; Atqui hanc Dei voluntatem extendi ad omnes et singulos homines, probant, tum votum Apostoli monentis ut *fiant orationes pro omnibus hominibus, pro Regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt*; licet fuerint infideles, et in infidelitate obierint. Tum ratio quam illius voluntatis reddit, quia nempe, *Unus est Deus, unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Ergo sicut Apostolus monet fieri orationes pro omnibus hominibus; sicut *unus est Deus* omnium hominum, nullo excepto, ita et om-

Digitized by Google

nium salvator est et redemptor: ita et vult omnes omnino et singulos homines salvos fieri. Decretorium est illud testimonium; quare C. Carisiacum definit: *Deus omnipotens omnes homines sine exceptione vult salvos fieri, licet non omnes salventur. Quod autem quidam salvantur, salvantis est donum: quod autem quidam pereunt, pereuntium est meritum.*

Obj. Hæc Apost. verba, *Deus vult omnes salvos fieri*, significant tantum voluntatem signi: *ergo* Deus non vult sincere omnes homines salvos fieri. *Nego ant.* Tum quia illa verba in sensu proprio significant voluntatem beneplaciti; tum quia Deus vi illius voluntatis destinavit omnibus redemptorem: *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*; omnibusque et singulis præparat aut confert media salutis æternæ consequendæ vere sufficientia, ut fuse probavimus *tract. de gratia cap. 7.*

Inst. D. Thomas asserit, quod voluntas antecedens *magis potest dici velleitas quam absoluta voluntas;* atqui velleitas non est proprie in Deo: *ergo. Dist. ant.* Potest dici velleitas comparate ad voluntatem absolutam, quæ semper est efficax, *conc.* absolute et in se, quasi esset in Deo mera circa salutem reproborum complacentia, *nego ant.* Ita se explicat hic D. Thom. et lib. contra gentes, cap. 159. *Deus quantum est in*

Digitized by Google

se, inquit, *paratus est omnibus gratiam dare: vult enim omnes homines salvos fieri*: ergo ex D. Thom. illa voluntas non est otiosa et sterilis: *ergo* est sincera voluntas, licet inefficax.

Q. 3. Utrum Christus mortuus sit pro salute duntaxat prædestinatorum? *R. Negat.* Id patet ex SS. Pontificibus Innoc. X. et Alexand. VII. qui constitutione ab universa Ecclesia recepta, hanc prop. Jansenii, *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*, damnarunt, *tanquam falsam, temerariam, scandalosam*: et intellectam eo sensu, *ut Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit*, damnarunt, *tanquam impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, et hæreticam*: ergo hæc ejus contradictoria: *Christus non est mortuus pro solorum prædestinatorum salute*, est dogma fidei.

Q. 4. Utrum Christus sit mortuus pro omnibus omnino hominibus, nullo excepto? *R. Affirm.* Nam id aperte probat Apostolus, 2. *ad Cor.* 5. dicens: *Si unus pro omnibus mortuus est*: ergo *omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus.* Decretorium est istud testimonium, in quo probat Apostolus, omnes et singulos in Adamo fuisse mortuos, ex eo quod Christus pro omnibus sit mortuus; nulla autem esset consequentia,

Digitized by Google

si vel unus esset, pro quo Christus non esset mortuus. Unde concil. Carisiacum (*cap. 4.*) definit: *Nullus est, fuit, vel erit homo, pro quo passus non fuerit* Christus, *licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur:* ergo. Et D. August. (*lib. 20. de civit. Dei, cap. 6.*) ait: *Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nullo prorsus excepto... et pro omnibus mortuis vivus mortuus est unus.*

Obj. Christus (*Matth. 20.*) dicit, se venisse *dare animam suam, redemptionem pro multis:* ergo non pro omnibus. *Nego conseq.* Nam vox *multis* supponit pro *omnibus:* unde D. August. (*lib. 2. operis imperfecti*) Juliano dicenti, *omnes pro multis sumi,* respondet, *non repugnare omnibus multos, quia ipsi omnes, non pauci, sed multi sunt.* Quo sensu Apost. *ad Rom. 5.* ait: *Si unius delicto multi mortui sunt;* ubi vox *multi* evidenter sumitur pro voce *omnes. Inst.* D. August. (*Epist. 169. ad Evodium*) ait: *Non perit unus ex iis, pro quibus mortuus est Christus:* ergo mortuus est pro solis prædestinatis. *Dist. ant.* Pro quibus mortuus est Christus voluntate absoluta, et efficaci, *conc.* voluntate conditionata, antecedente, et generali, *nego ant.* Ibi porro D. August. loquitur de voluntate Christi efficaci; sicque intelligendi sunt omnes alii Patres, qui nobis objiciuntur.

Digitized by Google

CAPUT IX.

De Justitia, Misericordia, et Providentia Dei.

Q. 1. Utrum sit in Deo justitia commutativa? *R. Negat.* Nam, ut ait, D. Thom. (*q. 21. art. 1.*): *Cum omnia nostra ex Deo sint, nec quisquam quidpiam dederit, pro quo sibi à Deo retribuatur, jure in ipso justitia commutativa non est.*

Q. 2. Utrum justitia distributiva in præmium bonorum, et malorum vindictam, sit formaliter in Deo? *R. Affirm.* Nam *Psal.* 10. dicitur: *Justus Dominus, et justitias dilexit.* Ratio est, quia bonis præmium, et malis supplicium, pro ratione eorum meriti, vel demeriti reddit.

Q. 3. Utrum sit in Deo misericordia? *R.* Non est, quatenus dicit tristitiam de miseria aliena: est autem, quatenus significat voluntatem alienæ miseriæ subveniendi; hæc enim voluntas est perfectio sine imperfectione.

Q. 4. Quid sit providentia, et an detur? *R.* Providentia est: *Ratio ordinis rerum ad finem* per media congrua; et hæc datur ex scriptura (*Sap.* 6. *v.* 8.) dicente: *Æqualiter cura est illi de omnibus.* Et cap. 14. v. 3. *Tua autem, Pater, providentia gubernat*: ergo.

Digitized by Google

Obj. 1.° Multa casu fiunt, et fortuito: 2.° multa fiunt frustra in rerum natura: 3.° impii ut plurimum prospere agunt, justi è contra adversis premuntur; *atqui* hæc cum providentiæ existentia stare non possunt: *ergo*, &c. *R. Ad* 1. *dist. ant.* Multa casu fiunt respectu nostri, qui ignoramus causas multorum effectuum, et finem, ad quem ex intentione Dei diriguntur, *conc.* respectu Dei, *nego min.*

R. Ad 2. *dist. ant.* Multa fiunt frustra respective ad causas particulares, *conc.* respective ad provisorem generalem, *nego ant.* Illa enim, quæ frustra fieri videntur, ad decorem universi ordinantur. *R. Ad* 3. *nego conseq.* Nam in hoc et malis providet Deus et bonis; malis quidem, ut eos adducat ad pœnitentiam, et virtutes morales, si quæ sint in eis, compenset: bonis vero, ut expientur in hac vita peccata eorum; ut virtus eorum probetur, exerceatur, et perficiatur; ut præsentem vitam contemnentes, Deum ardentius quærant, ut eorum merces augeatur, &c.

Obj. 2.° Si Deus omnibus provideat, actus creaturæ etiam liberæ à Deo provisi, erunt necessarii: nam fiunt necessario: *ergo*, &c. *Nego ant.* Cum enim providentia *disponat omnia suaviter*, res necessarias necessario, res vero liberas libero modo regit, et gubernat; equidem, quæ sunt à Deo prævisa, fient necessario necessitate hypotheti-

Digitized by Google

ca, quæ nullatenus officit libertati; non vero necessitate absoluta.

Q. 5. Utrum providentia semper assequatur finem rerum, quæ ei subsunt? *R.* Semper assequitur suum finem generalem, qui est manifestatio bonitatis, aliorumque attributorum divinorum: at non semper assequitur suum finem specialem, sic homo non semper assequitur beatitudinem, quæ est finis specialis, ad quem ordinatur à divina providentia: ratio est, quia Deus finem generalem vult efficaciter; non autem semper sic vult finem specialem.

CAPUT X.

De Prædestinatione.

Q. 1. Quot modis spectari potest prædestinatio? *R.* Potest sumi duobus modis, 1.° *Incomplete*, pro voluntate Dei absoluta et efficaci dandi gratiam nude et solitarie sumptam, vel gloriam item nude et solitarie sumptam: 2.° *Complete*, pro voluntate divina, absoluta, et efficaci dandi gratiam simul et gloriam, seu quatenus non tantum respicit gloriam æternam; sed etiam omnia gratiæ dona, quibus creatura rationalis ad gloriam perducitur.

Q. 2. Quomodo definitur prædestinatio complete sumpta? *R.* Definitur à Div. Au-

Digitized by Google

gust. (lib. de dono Persev. cap. 14.) *Præscientia et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur; quicumque liberantur.* Dicitur 1.° *Præscientia*; quo nomine intelligitur scientia visionis præsupponens scientiam conditionatorum. Tum quia D. August. illam scientiam præponit decreto absoluto præparationis beneficiorum gratiæ et gloriæ. Tum quia idem S. Parens (*cap. 17. de Deo*) ait: *Namque in sua; quæ falli, mutarique non potest, præscientia, opera sua futura disponere, id omnino, nec aliud quidquam, est prædestinare.*

Dicitur 2.° *Præparatio*, id est, præordinatio in Deo existens ab æterno. 3.° *Beneficiorum Dei*, per quod alii gratiæ solius, alii gloriæ solius, alii verisimilius, tum gratiæ tum gloriæ dona intelligunt. 4.° *Quibus certissime liberantur*, nempe à peccato per gratiam efficacem, et à miseria per gloriam æternam. 5.° *Quicumque liberantur*, quia prædestinatio non ad omnes homines, sed ad aliquos tantum extenditur; per quod differt à providentia tum naturali, tum supernaturali, quæ est voluntas dandi gloriam antecedens, et conditionata.

Q. 3. Utrum existat vera ex parte Dei prædestinatio? *R.* De fide est dari, nam Matth. 25. dicitur: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Et *Rom. 8. Quos prædesti-*

Digitized by Google

navit, *hos et vocavit*, &c. Ratio est, quia quidquid Deus facit in tempore, illud ab æterno facere præordinavit, ac decrevit.

Q. 4. Quotuplex est scholasticorum sententia circa causam meritoriam prædestinationis ad gloriam solitarie sumptam. *R.* Duplex: 1.ª *Sententia* distinguit prædestinationem in eam quæ est *secundum ordinem intentionis*, estque actus divinæ voluntatis ab æterno decernentis alicui dare gloriam; et eam, quæ est *secundum ordinem executionis*, estque ipsa actualis gloriæ retributio. Atque docet, prædestinationem spectatam secundum ordinem executionis esse propter gratiæ merita: spectatam vero secundum ordinem intentionis, esse mere gratuitam, et independenter à quovis prædestinati merito factam, ita ut Deus aliquos in 1.° instanti ad gloriam efficaciter prælegerit; et in 2.°, eosdem ad gratiam efficacem, et ad merita supernaturalia, quibus gloria est obtinenda, præordinarit. 2.ª *Sententia* docet, efficacem prædestinationem ex præsupposita meritorum gratiæ prævisione fieri, ita ut Deus nemini prius gloriam efficaciter decernat, quam præviderit, eum gratiæ certo consensurum.

Q. 5. Utrum prædestinatio ad gloriam fiat ex prævisis gratiæ meritis? *R. Affirm. Prob.* 1.° Ex Script. Matth. 25. ubi Christus prædestinatos alloquens, ait: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis re-*

Digitized by Google

gnum à constitutione mundi; esurivi enim et dedistis mihi manducare, &c. Ubi manifeste Christus docet, regnum cœlorum non tantum dari, sed etiam parari propter bona opera: nam particula causalis *enim*, quæ duo illa verba, *possidete*, et *paratum*, subsequitur, utrumque afficit, ut exponunt PP. Div. Chrysost. Hom. 80. in Matth. *Quia*, inquit, *sciebam vos, antequam nati essetis, hujusmodi futuros, hæc vobis à me præparata sunt.* Et D. Hieron. verba Matthæi objecta interpretans, ait: *Hoc juxta præscientiam Dei accipiendum est, apud quem futura jam facta sunt;* at præscientia non respicit collationem actualem gloriæ, sed solum illius præparationem ob futura merita: *ergo.*

Prob. 2.° Ex Rom. 8. *Quos præscivit, et prædestinavit*, &c. Præscientia hic præmittitur prædestinationi, ut significetur præscientiam meritorum esse causam directivam prædestinationis, ut exponunt Div. Ambros. lib. 5. de fide: *Quos præscivit*, inquit, *hos et prædestinavit, quia non ante prædestinavit, quam præscivit, sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit.*

Prob. 3.° Ex SS. PP. D. Epiph. in exposit. horum Christi verborum: *Non est meum dare vobis*, ait: *non est meum dare vobis, sed si laboraveritis, erit vobis paratum à Patre meo.* Et D. Chrysost. *Non est meum*

Digitized by Google

dare, sed quibus labore, atque sudore præparatum est: ergo gloria non tantum datur, sed etiam præparatur ob prævisa merita, ut immediate declarat D. Chrys. dicens: *Num igitur quasi non potentem illum id facere condemnabimus? nequaquam sed justitiam ejus admirabimur: quoniam non personam, sed rem, id est, merita, respicit.*

D. August. (*lib. 2. de peccatorum meritis*) ait: *Dominus noster hanc suam medelam nullis generis humani temporibus ante ultimum futurum judicium denegavit, quos per certissimam præscientiam, et justissimam misericordiam secum regnaturos in vitam prædestinavit æternam;* atqui prædestinari per certissimam præscientiam et per justissimam misericordiam, est certe prædestinari propter prævisa merita: *ergo*, &c.

Idem (*lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2.*) ait: *Non tamen electio* (ad gloriam) *præcedit justificationem, sed electionem justificatio: nemo enim eligitur, nisi jam distans* (per bona opera prævisa) *ab illo qui rejicitur. Unde quod dictum est*, elegit nos ante mundi constitutionem, *non video quomodo sit dictum nisi præscientia*, operum scilicet cum gratia Dei elicitorum.

Div. Fulgent. (*lib. 1. ad Monimum, cap. 24.*) ait: *Prædestinavit ad regnum quos præscivit ad se misericordiæ prævenientis auxilio redituros, et in se miseri-*

Digitized by Google

cordiæ subsequentis auxilio mansuros. Quod manifeste indicat, prædestinationem ad gloriam esse post prævisa merita.

Prob. 4.° *ratione*: Deus ab æterno decrevit facere quod facit in tempore, et quidem eodem modo quo illud facit in tempore, juxta illud Div. Thom. (in cap. 8. Epist. ad Rom. lect. 6.): *Eadem ratione Deus beneficia, quæ nobis confert in tempore, præparavit ab æterno*; atqui Deus in tempore dat gloriam propter merita, ut fides docet: *ergo*, &c.. *Prob. maj.* Quia SS. PP. inferunt executionem gratuitam ex electione gratuita: *Deus nato gratis gratiam suam tribuit*, inquit D. Fulgent. (lib. 1. de prædest. et gratia) *quia gratis eam præparaverat*, nascituro ergo idem est modus eligendi finem cum modo illum executioni mandandi. Cæteræ probationes videantur tom. 1. nostræ Theologiæ.

Obj. 1.° Christus Lucæ 12. dixit discipulis suis: *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*; atqui vox ista *complacuit* significat voluntatem puri beneplaciti, quæ excludit omne meritum prævisum: ergo. *Dist. min.* Vox *complacuit* significat voluntatem puri beneplaciti antecedentem, conditionatam, et inefficacem dandi gloriam sub conditione meritorum, *conc.* voluntatem absolutam et efficacem, *nego min.* Aliàs Judas, qui de illo

Digitized by Google

pusillo grege erat, fuisset efficaciter electus ad gloriam.

Obj. 2.° Rom. 9. dicitur: *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei* (Rebeccæ) *quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Unde sic argumentor; ante omne prævisum meritum Jacob diligitur; *atqui* per illam dilectionem Jacob, illius prædestinatio intelligitur: *ergo. Dist. min.* Intelligitur illius prædestinatio ad gratiam, *conc.* ad gloriam, *nego.* Nam ex ipso textu, Esau perinde gratis fuit odio habitus, ac Jacob dilectus: *ergo* si sermo esset de prædestinatione ad gloriam, sequeretur, reprobationem fieri etiam ante prævisa demerita, et ex solo Dei beneplacito, quod est hæreticum.

Obj. 3.° D. Aug. pluribus in locis docet, prædestinationem fieri ante prævisa omnia merita: ergo. *Dist. ant.* Docet, prædestinationem ad gratiam fieri ante omnia merita, *conc.* prædestinationem ad gloriam, *subdist.* ante omnia merita naturalia et gratiam præcedentia, *conc.* ante omnia merita gratiæ, *neg. ant.*

Itaque D. August. in locis, quæ nobis objiciuntur, impugnat *Pelagianos* qui docebant, gratiam Dei secundum merita nostra

Digitized by Google

naturalia dari; et *Semipelagianos* qui docebant, gratiam dari propter merita, quorum saltem initium esset à natura et libero arbitrio; sicque tota quæstio inter D. August. et ejusmodi hæreticos, non erat de meritis antecedentibus prædestinationem ad gloriam, sed de meritis antecedentibus prædestinationem ad gratiam. Indè est quod D. Doctor loquens obiter de prædestinatione ad gloriam, docuit eam non esse factam ex operibus naturalibus ad sensum illorum hæreticorum, qui non poterant dicere, eam esse factam ex prævisis meritis à gratia præveniente adæquate profectis, cum saltem tenerent initium fidei esse à nobis, ut solis, et non à prædicta Dei gratia adjutis.

Q. 6. Quid sit effectus prædestinationis, et quid requiratur ut aliquid sit? *R.* Effectus prædestinationis est id omne, quod virtute prædestinationis factæ, Deus ex speciali affectu confert electo, ut eum ad gloriam perducat. Ut aliquid sit effectus prædestinationis tria requiruntur, 1.° ut sit à Deo: quare peccatum non est effectus prædestinationis..... 2.° ut detur ex meritis Christi: quare creatio non est effectus prædestinationis... 3.° *Requiritur*, ut certissimè ad ipsius gloriæ consecutionem conducat, sive formaliter, sive dispositive, sive etiam occasionaliter?

Q. 7. Quot sint effectus prædestinationis? *R.* Tres, scilicet vocatio, justificatio, et

Digitized by Google

glorificatio, juxta illud, *Rom.* 8. *Quos autem prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit.* Effectus prædestinationis pariter sunt omnis bonus usus gratiæ, et cuncta inde oriunda merita.

Obj. Vocatio, et justificatio sunt communes prædestinatis, et reprobis: *ergo* non sunt effectus prædestinationis. *Dist. antec.* Sunt communes, si spectentur in se, *conc.* si spectentur ex parte Dei, *neg. ant.* Nam ex parte Dei dantur prædestinatis ex absoluta et efficaci intentione perducendi ad gloriam; reprobis vero conceduntur tantum ex voluntate Dei generali salvandi omnes homines: ideo in illis sunt tantum communes providentiæ generalis effectus.

Q. 8. Utrum peccati permissio prædestinationis sit effectus? *R.* Non est per se, sed occasionaliter, quatenus nimirum à Deo ordinatur ad prædestinati salutem. Quare D. August. (*Serm. 33. de verbis Domini*) ait: *Audeo dicere, superbis continentibus expedit cadere, ut in eo ipso, in quo se extollunt, humilientur, et cum timore et tremore salutem suam operentur.*

Obj. Permissio peccati non est Dei beneficium, nec est ex meritis Christi: ergo. *Dist. ant.* Non est Dei beneficium, nec ex meritis Christi, in se considerata, *conc.* prout subest intentioni divinæ, *nego ant.*

Digitized by Google

Q. 9. Utrum prædestinatio sit certa? *R.* Est certissima secundum se: nam (*Joan.* 10.) Christus de electis ait: *Non peribunt in æternum, et non rapit eas* (puta, oves meas) *quisquam de manu mea.* Et *cap.* 13. *Scit Christus, quos elegerit.* Sed respectu nostri non est certa certitudine absoluta absque speciali revelatione; nam, *Eccl.* 9. dicitur: *Nescit homo, utrum amore vel odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta.* Hinc conc. Trid. (*ses.* 6. *can.* 16.) definit: *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum, absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit.*

Q. 10. Quot sint signa prædestinationis? *R.* Varia assignantur à Patribus vitæ spiritualis: nempe 1. Frequens, et devotus Sacramentorum usus: 2. Zelus honoris Dei, et salutis proximi: 3. Frequens de Deo sermo, et cogitatio: 4. Desiderium patiendi pro Christo: 5. Ardens desiderium audiendi verbum Dei: 6. Rerum caducarum contemptus, et cœlestium amor: 7. Metus, et tremor in operanda salute cum vera humilitate conjunctus: 8. Devotio erga B. M. V. cui Ecclesia acommodat ista (*Prov.* 8.) verba: *Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem à Domino.*

Q. 11. Utrum prædestinatio sit immutabilis? *R.* Utique: 1.° *Ex parte Dei præde-*

Digitized by Google

stinantis, quia Deus nunquam mutabit decretum, quo statuit efficaciter gloriam electis conferre: 2.° *Ex parte prædestinatorum*, quia non possunt non consequi gloriam, ad quam electi sunt. Hinc D. August. (*lib. de corrept. et gratia, cap. 13.*) ait: *Certus est prædestinatorum numerus, qui neque augeri, neque minui potest.*

Obj. Qui scripti sunt in libro vitæ, possunt ex eo deleri: *ergo* non est immutabilis prædestinatio. *Dist. ant.* Qui scripti sunt in libro vitæ secundum quid, *conc.* simpliciter, *nego ant.* Liber vitæ secundum quid est ille, in quo inscribitur qui ad gratiam prædestinatus est. Liber vitæ simpliciter est ille, in quo inscribitur qui ad gloriam æternam est prædestinatus. Porro potest quis excidere à gratia, nunquam vero à gloria, quando ad eam est prædestinatus.

Insi. 1.° Moyses (*Exod. 32.*) ait: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut, si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti*: ergo supponit prædestinationem non esse ex parte Dei immutabilem. *Nego cons.* Nam ille textus intelligitur de libro vitæ hujus temporalis, de quo etiam loquitur, *num.* 11. dicens ad Dominum: *Obsecro, ut interficias me, et inveniam gratiam in oculis tuis.* *Inst.* 2.° David (Psalm. 68.) loquens de libro vitæ simpliciter, ait: *Deleantur de libro viventium*: ergo, &c. *Dist. cons.* Pos-

Digitized by Google

sunt deleri, negative, id est, non inscribi, *conc.* positive, *nego.* Unde ibidem additur: *Et cum justis non scribantur.*

Q. 12. Utrum prædestinatio necessitatem inferat prædestinatis? *R. Negat.* Quia decretum prædestinationis supponit scientiam conditionatorum per quam causa libera prævideatur sese determinatura, ex hypothesi quod Deus velit concurrere cum illa.

CAPUT XI.

De Reprobatione.

Q. 1. Quid sit reprobatio? *R.* Definitur à Magistro *lib. 1.* sent. distinct. 4. *Præscientia impietatis quorumdam; et præparatio damnationis eorumdem.* Dicitur 1.° *Præscientia impietatis*, ut significetur reprobationem fieri ex prævisis demeritis... 2.° *Impietatis*, id est, peccati, vel originalis solum, vel actualis solum, vel utriusque simul conjuncti in adultis non baptizatis... 3.° *Et præparatio damnationis eorumdem*, per quod intelligitur absolutum Dei decretum aliquos excludendi à gloria, et ad supplicium æternum deputandi.

Q. 2. Quotuplex sit reprobatio? *R.* Duplex, positiva, nempe, et negativa. Reprobatio *positiva*, dicta etiam *adæquata*, est decretum Divinum, quo aliqui excludun-

Digitized by Google

tur à vita æterna, et deputantur ad pœnas æternas; et hæc datur; Matth. enim 25. Christus ait: *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum.* Reprobatio verò *negativa* ab aliquibus definitur; mera non electio ad vitam æternam. Sed ab aliis: Actus positivus, quo Deus quosdam non tantum non eligit; sed etiam excludit à vita æterna, tanquam à beneficio indebito. Quo sensu potest dici reprobatio positiva *inadæquata*.

Q. 3. Quænam sit causa reprobationis positivæ? *R.* Solum peccatum à Deo prævisum, ut fides docet contra Calvinum, qui non aliam reprobationis causam statuit, præter voluntatem Dei, qui aliquos pro solo suo beneplacito, prædestinando, alios ad pœnas æternas antecedenter ad eorum demerita prædestinavit... *Prob. responsio* ex Script. Sapient. 1. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum*; atqui si Deus aliquos ante omne demeritum excluderet positive à gloria, et pœnis addiceret æternis, faceret mortem, et maxime lætaretur in perditione vivorum: *ergo*. Hinc Christus (*Matth.* 25.) ait: *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus: esurivi enim, et non dedistis mihi manducare*, &c. Et Div. August. (*lib. 3. contra Julian.*) dicit: *Non potest*, Deus, *quempiam sine malis meritis damnare, quia justus est*: ergò dogma Calvi-

Digitized by Google

ni blasphemat, Deum esse injustum.

Obj. Prov. 16. dicitur: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum*: ergo Deus impium creavit eo fine, ut reprobus esset. *Neg. conseq.* Non enim aliter verba allata intelligi debent, quam quod homo, quamvis prævideatur in peccatum lapsurus, atque adeo damnandus, non desinat tamen à Deo produci, ut inde patefiat gloria Dei, qui *melius judicavit de malis benefacere, quam nulla mala permittere*, ait D. August. (in Enchiridio, cap. 27.)

Q. 4. Utrum peccatum originale prævisum sit causa reprobationis adultorum baptizatorum? *R. Negat.* Nam peccatum originale in hominibus baptizatis fuit per baptisma remissum, ut concil. Trid. (*sess. 5. can. 5.*) definit his verbis: *Si quis per J. C. gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, anathema sit.* Quam definitionem confirmat ex hoc *Rom. 8. Nihil damnationis est in iis, qui sunt in Christo Jesu*, id est, *qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem*, ut habet Trid.

Respondent adversarii, peccatum originale remitti per baptisma quoad culpam, non vero quoad pœnalitates: in baptizatis enim remanent ignorantia, et concupiscentia quæ moralem quamdam peccandi neces-

Digitized by Google

sitatem inducunt, nisi Deus efficaciter adjuvet. Sed *Contra est:* Nam concil. Trid. definit, concupiscentiam *nocere non consentientibus, sed viriliter per J. C. gratiam repugnantibus non valere.* Idem docet, quod baptizati, *Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur;* atqui si concupiscentia esset causa reprobationis à gloria, plurimum noceret; et baptizatus haberet aliquid, quod eum ab ingressu cœli remoraretur: *ergo*, &c.

Obj. D. August. (Epist. 105.) ad ista verba: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui,* dicit: *Quid oderat in Esau, antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum:* ergo reprobatus est propter solum peccatum originale. *Nego conseq.* D. August. enim non agit ibi de reprobatione à gloria, sed à gratia speciali, ut ostendat, eam non dari propter bona opera naturæ prævisa; quandoquidem Deus uni suam largitur gratiam, antequam quidquam boni egerit, et alteri denegat, antequam quidquam egerit mali. Addit enim: "Ubi nunc opera, vel præterita, vel futura tanquam liberi arbitrii viribus impleta, vel implenda? nonne apertam protulit Apostolus de gratuitate gratiæ, hoc est, veræ gratiæ commendatione, sententiam?"

Q. 5. Utrum detur negativa adultorum reprobatio à gloria tanquam à beneficio in-

Digitized by Google

debito, quæ fiat per decretum Dei positivum ante prævisum quodcumque peccatum actuale? *R.* Non datur, sed unica reprobationis negativæ adultorum baptizatorum causa sunt actualia eorum peccata; quia sincerus affectus homines salvandi stare non potest cum reprobatione negativa à gloria: nam affectus, qui non tam est, quam esset futurus, si nihil obstaret, non est sincerus; *atqui* ex adversariis affectus Dei erga salutem hominum non tam est, quam esset, si nihil aliud obstaret: *Voluntas illa antecedens*, inquit Alvar. (disp. 34. concl. 4.) *actum conditionatum importat in Deo, quo vellet salutem omnium, nisi ex hoc impediretur pulchritudo universi, et bonum universale divinæ justitiæ, et misericordiæ.* At quomodo hoc potest cum his, *Ezechiel 33.* verbis convenire: *Nolo mortem impii, sed ut convertatur à via, et vivat.*

Hinc SS. Patres unanimiter rejiciunt hanc reprobationem negativam, cum asserant eam fieri ob prævisa peccata actualia: sic D. Prosp. (*respons. ad 3. object. Gallorum*) de reprobis dicit: *Ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri* (nempe mali in fine vitæ) *ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt.... essent autem prædestinati, si essent reversuri, et in sanctitate mansuri.*

Obj. Deus excludit negative, seu non eligit hominem ad gloriam, quia illi est inde-

Digitized by Google

bita: *ergo* sola Dei voluntas est causa reprobationis negativæ. *Nego ant.* Quia, posita misericordia, et ordinatione Dei, qui sincere vult omnes salvos fieri, eisque dat sufficientia media, quibus ad salutem pervenire possint: posita item redemptione per Christum, Deus non potest per decretum positivum excludere hominem à gloria, præcise, quia est beneficium ipsi indebitum; sed requiritur ex parte hominis peccatum, sive originale, si prævideatur non remittendum, sive actuale in renatis.

Q. 6. Quot sint effectus reprobationis? *R.* 4. nempe: 1. Est permissio peccati cum morte conjuncti..... 2. Est excæcatio mentis, qua fit, ut homo se peccare non amplius advertat, sicque non convertatur, infallibiliterque moriatur impœnitens... 3. Est obduratio cordis, qua fit, ut induratus lucentem veritatem rejiciat, et adhortantibus hoc unum respondere soleat: *Non possum*.... 4. Est pœna tum damni, tum sensus.

Q. 7. Quomodo Deus peccatorem induret, et excæcet? *R.* Hoc exequitur duobus modis, 1.° Cum peccatori denegat auxilia efficacia, per quæ converteretur actu, et non moreretur in peccato.... 2.° Cum permittit peccatorem incidere in tentationes, et occasiones peccandi, quibus videt futurum, ut peccata peccatis accumulet; aut etiam

Digitized by Google

illi offert objecta per se bona, vel certe non mala, quibus abutitur in suam perniciem, sicut evenit Pharaoni, ut explicat D. Aug. (*lib. de gratia et libero arbitrio cap. 21.*)

---

*

Digitized by Google

TRACTATUS III.

De Deo Trino.

Hujus Tractatus erunt tres Dissertationes: 1.ª Erit de Trinitate in genere: 2.ª De personis Divinis in particulari: 3.ª De mutua prædicatione nominum absolutorum de relativis, et relativorum de absolutis.

DISSERTATIO I.

De Mysterio SS. Trinitatis in genere.

Hic agemus: 1.° De existentia Trinitatis: 2.° De modo eam cognoscendi: 3.° De processionibus divinis: 4.° De personalitatibus divinis: 5.° De his, quæ tribus personis sunt communia.

CAPUT I.

De Existentia SS. Trinitatis.

Q. 1. Quid sit mysterium SS. Trinitatis? *R.* Est unus Deus in tribus personis subsistens. Dicitur 1.° *Unus Deus*; id est, una natura divina, unitate numerica, et singulari; non vero unitate specifica, quæ per sin-

Digitized by Google

gulares differentias dividatur, et multiplicetur, ut natura humana in Petro, Paulo, Andrea. 2.° *In tribus personis* realiter distinctis contra Sabellianos, qui docuerunt, unicam esse in Deo personam pro diversis ejus officiis trinominem, qui ideo *Patripassiani* dicti sunt, quia Filius, qui eadem est persona cum Patre, passus est. 3.° *Subsistens*, contra Socinianos, qui negant, Spiritum sanctum esse subsistentem personam, asseruntque, eum esse tantum Dei virtutem, et efficaciam.

Q. 2. An Trinitas personarum in Deo possit probari ex veteri Testamento? *R. Affirm.* Nam *Genes.* 1. dicitur: *Vidit Deus quod esset bonum, et ait: Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*: ubi hæc verba, *vidit Deus, et ait*, ponuntur in singulari, ut unitas naturæ manifestetur; ista vero, *faciamus, nostram*, ponuntur in plurali, ut multiplicitas personarum demonstretur: illa enim verba ad quasdam alias personas, à loquente distinctas, diriguntur.

Genes. 3. dixit Deus: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*: ubi, si non essent plures personæ, sensus esset, *Ecce Adam quasi unus ex me factus est*, quæ locutio inepta est, et ridicula. *Psalm.* 109. dicitur: *Dixit Dominus Domino meo.... ex utero ante luciferum genui te*; atqui Filius realiter distinguitur à Patre. Hoc textu usus est Chri-

Digitized by Google

stus, *Matth.*22. ut probaret suam divinitatem.

Q. 3. An Trinitas possit probari ex novo Testamento? *R. Affirm.* Nam *Matth.* 28. dicit Christus: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Joann.14.* ipsemet Christus ait: *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis.* Quem locum contra Sabellianos sic urget D. Athanas. *Cum Christus de se loquitur, dicit*, ego; *cum de Patre, dicit*, ille; *cum de Spiritu sancto, subjungit*, alium: *nonne igitur manifestæ pertinaciæ est, negare tres?* et etiam *1. Joan. 5. v. 7.* dicitur: *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt.* Unde omnia fidei symbola Trinitatem personarum in Deo confitentur.

*Obj.*1.° Deus in Scripturis dicitur solus: sic in Deut.32. *Videte, quod ego sim solus*: ergo. *Dist. ant.* Deus dicitur solus per exclusionem deorum aliorum, *conc.* per exclusionem personarum in Deo, *nego ant.* Dicit enim Christus *Joan. 8. Solus non sum, sed ego, et qui misit me.*

Obj. 2.° Juxta scholæ axioma: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*; atqui personæ divinæ sunt quid idem uni tertio, nempe naturæ divinæ: ergo. *Dist. maj.* Quæ sunt eadem uni tertio incommunicabili et singulari, sunt eadem inter se, *conc.*

Digitized by Google

quæ sunt eadem uni tertio communi, et communicabili, *nego* axioma. Sic quamvis Petrus et Paulus sint quid idem cum natura humana, non tamen sunt idem inter se; quia natura humana est communis et communicabilis Petro et Paulo; unde non valet hoc argumentum: *Petrus est homo, Paulus est homo: ergo Petrus est Paulus.*

Obj. 3.° *cum Socinianis*: Spiritus sanctus non est vera persona per se subsistens: *ergo* non sunt tres personæ in Deo. *Nego ant.* Nam Scriptura sacra Spiritui sancto proprias tribuit actiones, nempe docere, *Joann. 14. Paracletus autem Spiritus sanctus... vos docebit omnia*, Venire, arguere, audire, loqui, accipere, *Joann. 16. Cum venerit ille, arguet mundum de peccato... Quæcumque audiet, loquetur... de meo accipiet*; Atqui actiones personam viventem, et per se subsistentem denotant, juxta illud effatum: *actiones sunt suppositorum: ergo*, &c.

Inst. 1.° Actiones personales tribuuntur Spiritui sancto per figuram prosopopeiæ, per quam res, quæ non est persona, inducitur loquens, quasi esset persona: *ergo* ex illis actionibus non potest concludi, quod sit vera persona subsistens. *Nego ant.* Quis enim, nisi cæcus sit, dicat, hæc verba, *Act.* 10. *Dixit Spiritus ei*, (Petro) *ecce viri tres quærunt te... vade cum eis nihil dubitans, quia ego misi illos*, de Spiritu sancto dici fi-

Digitized by Google

gurate, cum pronomen *ego* apertissime demonstret Personam, quæ imperat, et mittit?

Inst. 2.° Quando Scriptura de Spiritu sancto dicit: *Interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, figurate loquitur: *ergo*, &c. *R. Retorqueo*: quando Scriptura dicit Christum esse vitem, ostium, agnum, &c. figurate de Christo loquitur: *ergo* semper de Christo figurate loquitur. Ergo ex subjecta materia, ex antecedentibus, et consequentibus, æstimandum est, an Scriptura figurate loquatur, vel non.

Q. 4. Quinam negarunt divinitatem personarum divinarum? *R.* Hi: Ariani divinitatem Verbi; Macedoniani, Spiritus sancti; et Sociniani utriusque divinitatem negarunt.

Q. 5. Utrum Filius Dei sit verus Deus, Patri consubstantialis? *R. Affirm. Prob.* 1.° ex veteri Testamento: nam *Isaiæ* 9. dicitur: »Filius datus est nobis.... et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi.» *Psal.* 109. *Dixit Dominus Domino meo:* ubi hæc particula, *Dixit Dominus*, intelligitur de Deo Patre: et ista, *Domino meo*, de Deo Filio, qui secundum naturam divinam tantum est Dominus Davidis, non secundum naturam humanam, quam ab ipso Davide recepit.... et eodem Psalmo Deus Pater dicit Filio: *Ex utero*, id est, ex propria mea substantia, *ante luciferum*, id est, ab æterno, *genui*

Digitized by Google

te, nimirum, per veram, ac proprie dictam generationem; unde est Filius naturalis.

Prob. 2.° Ex novo Testamento. *Matth.* 14. cum Caiphas interrogasset Jesum, *Tu es Christus Filius Dei benedicti?* respondit, *ego sum*; quod Caiphas, cæterique Judæi de filio naturali intellexerunt: aliàs Caiphas non dixisset, *ecce nunc audistis blasphemiam:* nec Judæi clamassent, *reus est mortis. Joann. 1.* dicitur: *In principio*, id est, ab æterno, *erat Verbum, et Verbum erat apud Deum*, id est, à Deo genitum, *et Deus erat Verbum, omnia per ipsum facta sunt, et verbum caro factum est.* Hic Verbum clare, et distincte appellatur Deus... Et *cap.* 10. dixit Christus: *Ego, et Pater unum sumus*, id est, una natura divina: in hunc locum D. August. ait: *Quod dixit* unum, *liberat te ab Ario: quod dixit* sumus, *liberat te à Sabellio.* Si unum; *ergo non diversum: si* sumus: *ergo Pater et Filius.... Cap. 16. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt:* atqui Pater habet naturam divinam: ergo.

1. Joann. 5. Scimus, quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus; hic est verus Deus, et vita æterna. Hinc in concil. Niceno 1. definitum est, Filium esse *Deum de Deo, lumen de lumine; Deum verum de Deo vero; genitum non factum, consubstantialem Patri.*

Digitized by Google

Obj. 1.° Christus sic alloquitur Patrem: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum:* ergo solus Pater est Deus. *Dist. conseq.* Solus Pater est Deus per exclusionem falsorum deorum, *conc.* per exclusionem aliarum personarum divinarum, *nego conseq.* Quia quando attributum absolutum uni personæ tanquam soli tribuitur, non excluduntur aliæ personæ divinæ; sed solùm res, quæ sunt naturæ diversæ à natura divina; sic quando dicitur: *Nemo novit Patrem, nisi Filius, non excluditur Pater, quia inseparabiles sunt,* ait D. August. (*lib. 1. de Trinitate, cap. 6.*)

Obj. 2.° Nomen *Deus* aliis à Deo entibus tribuitur in Scripturis, ut cum Deus Moysi dixit: *Constitui te Deum Pharaonis*: ergo ex hoc, quod Verbum dicatur *Deus*, non sequitur, quod sit vere et realiter Deus, sed tantum figurate et participative. *Dist. ant.* Aliis à Deo entibus tribuitur, cum additione, seu restrictione, *conç.* absolute et simpliciter, *nego ant.* Sic cum Moyses dicitur *Deus,* additur *Pharaonis.* Sed de solo Christo dicitur, quod sit Deus absolute.

Obj. 3.° Christus (*Joann. 10.*) ut hancce Judæorum opinionem, quod se Deo æqualem faceret, amoveret, respondit, seipsum non aliter Deum dixisse, aut filium Dei, quam in scripturis ii, *ad quos Dei sermo factus est*, dicuntur dii: ergo. *Nego ant.* Nam

Digitized by Google

Christus ibi argumentatur à minori ad majus: sic, si judices, propter auctoritatem, quam à Deo acceperunt, dii appellantur, quanto magis Deus dici debet ille, *quem Pater sanctificavit*, nimirum sanctitate increata, et personali? Unde addit: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite*; nam opera mea, quæ nemo alius facit, probant me à Patre missum, et vera locutum, cum Deus non possit miracula edere ad confirmandum mendacium: *operibus* ergo *credite, ut cognoscatis et credatis: quia Pater in me est, et ego in Patre*, propter identitatem naturæ, et consubstantialitatem.

Alii textus objiciuntur à Socinianis, sed facile solvuntur.

Lucæ 18. Christus dicit: *quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus.* Sed ejusmodi responsio est ad mentem Principis illius, qui Christum ut purum hominem habebat. *Eccli. 24.* Sapientia quæ est Verbum Dei, dicit: *Ante sæcula creata sum.* Sed intelligitur de creatione improprie dicta, nempe de simplici productione, et generatione, non de eductione rei ex nihilo.

Joann. 1. De Verbo dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt.* Sed intelligitur de causa efficiente, non de instrumentali: particulæ enim *ab*, *ex*, et *per*, in scripturis, idem si-

Digitized by Google

gnificant. *Joann.* 14. dicit Christus: *Pater major me est.* Sed inde sequitur tantum, quod Christus sit minor Patre secundum humanitatem, non secundum divinitatem. *Joann.* 5. Christus ait: *Non possum ego à me ipso facere quidquam*; sed non inde sequitur quod non habeat æqualem potentiam cum Patre; hoc ergo ideo dicit, quia omnipotentia est ipsi à Patre communicata.

Q. 6. Utrum divinitas Verbi possit probari ex traditione Patrum, qui ante Concilium 1. Nicænum floruerunt? Alios enim nobis dimittunt Sociniani. *R. Affirm.* Nam 1.° S. Ignatius Martyr (Epist. ad Tarsenses) redarguens eos, qui de Christo dicebant: *Quoniam nudus homo est*, ait: *Qualiter autem nudus homo audiret*; sede à dextris meis? *qualiter autem et diceret*, priusquam Abraham fieret, ego sum, &c. 2.° S. Martialis, Petri comes (in 1. ad Burdigalenses Epist. cap. 2.) ait: »Christus mori potuit, quia homo fuit. Filius Dei ante principium fuit. Et quia Deus erat, diu teneri in morte non potuit. Resurrexit enim ante lucem 3. die, de loco, ubi eum sepeliri vidimus, et apparuit nobis.»

3.° D. Dionysius Areopagita, (lib. de divinis nominibus, cap. 2.) dicit: »Sacræ Scripturæ tradunt ipsummet Deum, se designando, dixisse: Quid me interrogas de bono? nemo bonus nisi solus Deus.» Por-

Digitized by Google

ro Deus, qui sic se designavit, est Deus Filius; *etenim*, addit D. Dionys. *Et Verbum ipsum, quod natura bonum est, ait:* ego bonus sum. 4.° S. Justin. (Apolog. 2. pro Christianis) de Christo dicit: *Qui, quod Verbum, et primogenitus Dei sit, Deus etiam est.* 5.° S. Theophillus VI. Patriarcha Antiochen. (l. 1. Commentarior. in Evangelia) dicit: *Obtulerunt ei* (Christo) *Magi munera, aurum ut Regi, thus ut Deo, myrrham ut homini ad sepulturam.* 6.° S. Dionys. Alexandr. (Epist. contra Paulum Samosatensem) ait: *Unus est Christus, qui est in Patre, coæternum Verbum, una ejus persona, Deus invisibilis et visibilis factus.* 7.° Eusebius Pamphilus, Cæsareæ Episcopus (l. 1. de fide) ait: *Gentiles non sumus, quia non dicimus Deos: judæi non sumus, quia et Christum Deum confitemur.* 8.° Hinc Concil. Nicæn. 1. definivit, Filium Dei esse *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, &c.*

Obj. 1.° D. Ignatius (Epist. ad Tarsenses) de Filio dicit: *Non ipse est, qui super omnia Deus Pater, sed Filius ejus.... R.* Quod per hæc verba vult tantum, Filium non esse fontem totius divinitatis.

Obj. 2.° D. Justinus (Dialogo cum Triphone) asserit 1.° Deum Patrem *esse Filii causam ut sit...* 2.° Filium esse *admini-*

Digitized by Google

strum Dei Creatoris. 3.° Christianos *in secundo loco habentes* (Filium Dei) *cum ratione venerari*: ergo. *R. ad 1.* Quod Justinus nomine causæ intellexit *principium*... ad 2. dico, quod Filius dicatur Patris minister improprie, quatenus et esse, et operandi virtutem accepit à Patre sine dependentia ab illo... ad 3. Filius dicitur secundo loco haberi ratione originis, quia est secunda persona; non vero ratione naturæ, et dignitatis.

Obj. 3.° D. Irenæus (l. 3. adversus hæreses, c. 8.) dicit, Deum Patrem *præcepisse Verbo, per quod cœli firmati sunt*: ergo. *R.* Præcepit improprie, hoc sensu, quod Pater voluit mundum fieri per Verbum, hoc est, voluntate Verbi à Patre accepta, et utrique communi. Porro illud præceptum non arguit inferioritatem in Verbo.

Obj. 4.° Clem. Alexand. (l. 1. Stromatum) dicit: *Beneficentissima est natura Filii, quæ soli omnipotenti propinquissima est.* Et *lib. 5.* dicit Verbum esse *sapientiam primo creatam. R. ad* 1. Quod *natura* sumatur pro *persona*, ut frequenter usurpatur apud veteres. *R. ad* 2. Verbum *primo creata* sumitur pro Verbo *primo genita*: est autem primo genita, quia prior est origine persona Spiritus sancti.

Obj. 5.° Origenes (l. 8. contra Celsum) dicit 1.° Verbum non esse universorum Deum: 2.° Contendit Filium, ut Filius est, esse

Digitized by Google

minorem Patre, juxta illud Christi: Pater major me est. *R. ad* 1. Veteres per hæc verba *universorum Deum*, solam personam Patris per appropriationem intellexisse... *ad* 2. Filius, qua Filius, dicitur minor Patre ratione originis, quia ab eo recepit esse, unde Pater dicitur fons totius divinitatis: sed non est minor ratione essentiæ. Ita hunc textum, *Pater major me est* interpretatur D. Athanas. Orat. 2. contra Arianos.

Obj. 6.° Tertullianus 1.° docet (l. contra Hermogenem, c. 3.) Deum non fuisse semper Patrem: *Non tamen ideo Pater semper, quia Deus semper*, inquit... 2.° (l. contra Praxeam) dicit: *Pater tota substantia est; Filius vero derivatio totius et portio, sicut ipse profitetur: Pater major me est...* 3.° Ibidem dicit: *Deum Filium agnosco, secundum à Patre defendo.*

R. ad 1. Quod Tertull. loquatur de paternitate essentiali, quæ respicit productionem creaturarum, estque tribus personis communis; non vero de paternitate notionali, quæ est ad filium naturalem... *ad* 2. Quod intelligi debeat secundum imperfectum nostrum concipiendi modum; non vero realiter: sic enim loquitur Tertull. ut ostendat, Filium esse à Patre per generationem, ut inde concludat contra Praxeam, eum à Patre distingui persona, et hypostasi... *ad* 3. dist. ratione originis, *conc.* ratione naturæ, *nego.*

Digitized by Google

Q. 7. Utrum Spiritus sanctus sit verus Deus, Patri Filioque consubstantialis? *R. Affirm.* Nam 1.° in Scriptura vocatur Deus, *Act.* 5. D. Petrus sic Ananiam alloquitur: *Anania, cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto.... non es mentitus hominibus, sed Deo....* 2.° Spiritui sancto tribuuntur omnes perfectiones, quæ soli Deo sunt propriæ, nempe immensitas, Sap. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Omniscientia 1. *Cor.* 2. *Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei.* Associatio cum Patre et Filio in omnibus operibus ad extra, *Matth.* 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.*

Unde Tertull. (*l. adversus Praxeam c.* 13.) ait: *Pater est Deus, Filius Deus, et Spiritus sanctus Deus.* Et conc. Constantinop. 1. definivit: *Credimus Spiritum sanctum, Dominum, et vivificantem.... cum Patre et Filio adorandum, et glorificandum, qui locutus est per Prophetas:* ergo est Patri et Filio consubstantialis.

Obj. 1.° Plura in Scripturis de Spiritu sancto leguntur, quæ Deo vero convenire nequeunt; v. g. *Rom. 8.* dicitur, postulare et gemere. *Ephes.* 4. dicitur, contristari. 1. *Thessal.* 3. dicitur, extingui. *R.* 1. Dicitur *postulare et gemere*, quia nos postulare facit, et coram Deo gemere... 2.° *Contristari*,

Digitized by Google

quia improbat; quod male gerunt homines... 3.° Dicitur *extingui*, non ratione sui, sed ratione gratiarum, quas homo extinguit, vel non utendo, vel abutendo.

Obj. 2.° Christus de Spiritu sancto loquens, ait: *Non enim loquitur à semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur*: ergo, &c. *Dist. ant.* Quæcumque audiet procedendo, loquetur, *conc.* quæcumque audiet discendo, *nego ant.* Spiritus sanctus per suam processionem, accipiendo naturam divinam, recipit etiam omnium rerum cognitionem, quæ cum ipsa identificatur.

CAPUT II.

De Modo cognoscendi SS. Trinitatem.

Q. 1. Utrum Mysterium SS. Trinitatis possit ratione naturali demonstrari? *R. Negat.* Ait enim Christus *Matth. 11. Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare?* ergo mysterium SS. Trinitatis sola revelatione cognosci potest. Et ratio est; quia omnis demonstratio vel fit à priori, seu per causas: vel à posteriori, seu per effectus; *atqui* Mysterium SS. Trinitatis non potest demonstrari à priori, cum Deus nullam sui causam habeat; neque etiam à posteriori, quia creaturæ non dependent à Deo, qua-

Digitized by Google

tenus trinus est, sed quatenus unus est in natura: prodeunt enim ab omnipotentia, quæ cum sit toti Trinitati communis, arguit unitatem naturæ, non distinctionem Personarum: *ergo*.

Obj. 1.° Antiqui Philosophi, Plato, Aristoteles, Trismegistus, imo et Sybillæ, mysterium Trinitatis agnovere: *ergo*, &c. *R.* Dato, non concesso, antecedente, *nego conseq.* Nam si Philosophi gentiles aliquam de hoc mysterio notitiam habuerunt, illam habuerunt vel per revelationem ipsis immediate factam, ut de Sybillis tradunt DD. August. et Hieronym. vel ex lectione librorum Moysis, et Prophetarum.

Obj. 2.° Certissimum est 1.° Deum esse intelligentem, et volentem: 2.° Omne intelligens, et volens terminum utriusque actionis producere: 3.° Producens et productum distingui realiter: 4.° Hunc duplicem terminum debere esse substantiam in Deo, qui nihil accidentale potest in se admittere: 5.° Hos terminos naturam divinam, et quidem individuam participare, quia multiplex non potest esse natura divina, et quidquid in Deo est, necessario Deus est: *ergo*, &c.

R. Hanc probationem non esse demonstrationem; nam mens humana, sibi relicta, cognoscere minime potest actionem intellectus et voluntatis in Deo esse productivam; qualis enim illius erit terminus? an aliquod

Digitized by Google

accidens? at in Deo, utpote ente perfectissimo, nullum esse potest. An substantia? minime; aliàs, cum juxta leges naturæ, omne productum substantia distinguatur à producente, tot essent naturæ divinæ, quot personæ producentes, et productæ: *ergo* essent plures dii, quod lumini naturali repugnat: *ergo* gentilis concludet potius, Deum, intelligendo et volendo, nullum producere terminum substantialem, et personalem; imo ostendet, talem terminum non esse necessarium, quia fatentibus Theologis, Filius et Spiritus sanctus intelligunt, et volunt; nec tamen producunt terminum.

Q. 2. Utrum, supposita fide hujus mysterii, possit variis exemplis illustrari? *R.* Exemplis illustrari potest, sed imperfectis: illustratur enim, et probabile suadetur exemplo mentis humanæ, quæ licet realiter una, tribus tamen pollet facultatibus, scilicet, intellectu, voluntate, et memoria, quæ relative distinguuntur.

CAPUT III.

De Processionibus divinis.

Q. 1. Quid sit processio? *R.* Emanatio, seu origo unius ab alio. Alia est *immanens*, cujus terminus manet intra suum principium. Alia *transiens*, cujus terminus extra

Digitized by Google

suum principium exit; sic in humanis filius à patre productus.

Q. 2. Quotuplex sit processio immanens? *R.* Duplex, nempe, *physica*, qua unum ab alio procedit actione quadam physica, quæ includit mutationem, dependentiam, et diversitatem naturæ in eo, quod ab alio procedit: talis est nostra intellectio, à qua verbum mentale, quod est accidens, procedit. Et *metaphysica*, qua unum ab alio procedit tanquam à mero principio, seclusa omni imperfectione mutationis, dependentiæ, ac diversitatis naturæ, remanentibus solum istis duobus respectibus, *à quo alius*, et *qui ab alio*, inter principium, et id quod oritur ab eo.

Q. 3. Utrum sit in Deo vera processio metaphysica? *R. Affirm.* Probaturque ex Script. *Joan.* 8. Christus de seipso dicit: *Ego ex Deo processi.* Et de Spiritu sancto, *Joan.* 15. dicit: *Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Hinc conc. Nicænum 1. definivit, Filium esse *Deum de Deo*; et Constantinop. 1. definivit, *Spiritum sanctum ex Patre procedere.*

Obj. 1.° Si Filius, et Spiritus sanctus procederent, penderent à suo principio; *at qui*, &c. *Dist. maj.* Si procederent in tempore et libere, *conc.* si procederent ab æterno et necessario, *nego maj. Inst.* Persona produ-

Digitized by Google

cens prior est persona producta: *ergo* procedit in tempore. *Dist. ant.* Prior est prioritate originis, *conc.* prioritate temporis et naturæ, *nego ant.* Porro prioritas originis nullam importat imperfectionem.

Obj. 2.° Si sit in Deo processio, erit in Deo mutatio interna; Pater quippe transibit à statu non producentis ad statum producentis; *atqui*, &c. *Nego maj.* Nam, sicut ait D. Aug. *Semper gignit Pater, et semper nascitur Filius*: ergo producit Pater, et producitur Filius, absque ulla sui mutatione.

Q. 4. Quot sint in Deo processiones? *R. Duæ, nec plures, nec pauciores*; quia in eo sunt tantum duo modi operandi ad intra, qui in suo quique genere exhauriuntur productione unius personæ infinitæ, nimirum, unus per intellectum, quo producitur Verbum divinum; et alter per voluntatem, quo producitur Spiritus sanctus: *ergo*.

Obj. 1.° In Deo processio est infinita: *ergo* est unica. *Dist. ant.* Est infinita in suo genere, *conc.* in omni genere, *nego ant.* Sic processio per intellectum est infinita in genere intellectionis, et sic unicum est Verbum. Similiter processio per voluntatem est infinita in genere volitionis, et sic unicus est Spiritus sanctus: sed nulla est in Deo processio infinita in omni genere.

Obj. 2.° Filius, et Spiritus sanctus, cum

dem intellectum, eandemque cum Patre recipiunt voluntatem: *ergo*, &c. *Dist. ant.* Eundem intellectum, eandemque recipiunt voluntatem essentialem, *conc.* notionalem, *nego ant.* Intellectus et voluntas essentiales sunt intelligendi et volendi facultates, quæ, sic præcise, sunt infecundæ. Intellectus et voluntas notionales sunt intelligendi et volendi facultates; quatenus habent adjunctas relationes paternitatis et spirationis activæ, quæ, ut sic, sunt fecundæ; porro nec Filius recipit à Patre intellectum notionalem, nec Spiritus sanctus recipit à Patre et Filio voluntatem notionalem, quia hæ sunt exhaustæ per eorum productionem.

Q. 5. Quid sit principium divinarum processionum, et quotuplex? *R.* Est id, à quo divinæ personæ oriuntur: et est triplex, nempe, principium *quod*, et principium *quo*, tum proximum, tum remotum... Principium *quod*, seu denominationis, est persona producens... principium *quo* remotum, est id per quod persona *mediate* tantum operatur; seu est radix et prima ratio, qua virtus immediate operativa convenit personæ producenti... principium *quo* proximum est virtus, per quam persona *immediate* operatur.

Q. 6. Quodnam est principium divinarum processionum? *R.* 1.° Principium *quod* est Persona Patris respectu Filii, et Personæ Patris, et Filii respectu Spiritus sancti. *R.* 2.ª

Digitized by Google

Principium *quo remotum* est natura divina; quia principium *quo proximum* sunt intellectus et voluntas notionales; seu intellectio, nimirum et volitio notionales in natura divina, tanquam in radice, continentur. *R.* 3.° Principium *quo proximum* sunt intellectus et voluntas notionales, seu intellectus et voluntas, prout connotant relationes paternitatis et spirationis activæ; quia sunt virtus, per quam Pater, vel Pater et Filius immediate operantur: nimirum intellectionem notionali Pater immediate producit Filium; volitione vero, Pater et Filius producunt Spiritum sanctum.

Obj. 1.° Principium *quo* proximum non debet esse commune omnibus personis: alioquin omnes et singulæ producerent; *atqui* intellectus, et voluntas sunt communes omnibus personis: *ergo*, &c. *Dist. min.* Intellectus, et voluntas essentiales sunt communes, *conc.* notionales, *nego min.*

Obj. 2.° *cum Durando*: Natura divina est principium *quo* proximum processionum ergo. *Nego ant.* Repugnat enim huic recepto in Scholis effato, ac in conc. Lateran. sub Innocent. III. confirmato: *Natura nec producit, nec producitur*: unde opinio Durandi ab omnibus ut temeraria rejicitur.

Inst. SS. Patres dicunt cum D. August. (*lib. 15. de Trinit. cap. 20.*) *Verbum esse Filium natura*: ergo natura est principium quo proximum processionum. *Nego conseq.*

Digitized by Google

Quia SS. Patres per verbum *naturæ* non significant principium generationis, sed modum generationis, ut illo termino demonstrent adversus Arianos, processionem Filii non esse liberam, sed naturalem, et necessariam, proindeque Verbum esse Filium Dei naturalem.

Obj. 3.° Sola relatio non est cæteris personis communis: *ergo* sola relatio est principium *quo* proximum processionis. *Nego ant.* Nam intellectus notionalis, quatenus nimirum adjunctam habet relationem originis, est Patri singularis, et principium proximum *quo* generationis.

Q. 7. Quomodo vocatur processio Verbi à Patre? *R.* Generatio, juxta illud Scripturæ de Verbo loquentis: *Generationem ejus quis enarrabit?* et illud Symboli Nicæni: *Genitum, non factum.* Ratio est, quia Verbo convenit veræ generationis ratio; nam generatio definitur: *Origo viventis à vivente, principio conjuncto, in similitudinem naturæ vi processionis formaliter*; atqui processio Verbi: 1.° Est origo viventis à vivente, ex *Joan.* 5. dicentis: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic et dedit Filio habere vitam in semetipso...*

2.° Est à principio conjuncto, non quidem per partitionem sui esse, ut fit in creatis, sed per totius naturæ communicationem... 3.° Est in similitudinem naturæ, et

Digitized by Google

quidem vi processionis formaliter, quia procedit per intellectum, qui tendit in verbum, seu speciem expressam, quæ est objecti repræsentatio, accidentalis in creatis, sed substantialis in Deo; unde intellectus creatus producit solum imaginem accidentalem: at vero intellectus divinus, utpote perfectissimus, necessario producit substantialem Dei imaginem, proindeque Filium consubstantialem.

Q. 8. Quænam sit specialis ratio, propter quam processio Verbi dicatur generatio, ac proinde Verbum dicatur Filius? *R.* Est, quod Verbum à Patre procedat per intellectum, qui præcise, quatenus est intellectus perfectissimus, vim habet producendi terminum similem in natura: nam omnis intellectus ex propria sua virtute tendit ad producendum terminum similem objecto cognito, et quidem tanto perfectiori similitudine, quanto perfectior est; *atqui* intellectus Patris æterni est perfectissimus; *ergo* debet producere terminum sibi similem similitudine perfectissima; *atqui* similitudo perfectissima est similitudo in natura: *ergo*, &c.

Q. 9. Quænam sit specialis ratio, propter quam processio Spiritus sancti non dicatur generatio? *R.* Est, quod Spiritus sanctus vi actionis, per quam producitur, non recipiat esse simile Patri et Filio, à quibus

Digitized by Google

procedit: scilicet procedit ab utroque per actum voluntatis, et est terminus amoris divini; *atqui* terminus amoris divini non est principio suo similis in natura vi processionis suæ formaliter; nam actus voluntatis per se non est similitudo, sed tantum pondus aliquod, et impulsus in rem amatam: *ergo* terminus amoris divini non est principio suo similis in natura vi processionis suæ formaliter: *ergo* non est Filius.

Obj. 1. Spiritus sanctus est perfecte similis suo principio: *ergo* procedit per generationem. *Dist. ant.* Est similis suo principio realiter, et identice, *conc.* vi processionis suæ formaliter, *nego ant.* Quod Spiritus sanctus sit Patri, et Filio perfecte similis, id tantum habet ex eo, quod natura divina identificetur amori, per quem procedit. *Inst.* Spiritus sanctus procedit formaliter ut Deus: *ergo* perfecte similis est Patri et Filio vi processionis suæ. *Nego ant.* Nam Spiritus sanctus procedit tantum ut impulsus Patris et Filii, qui licet à parte rei sit Deus propter sui cum divinitate identitatem; tamen sub ratione qua est impulsus, non est Deus, quia non procedit per actionem, quæ per se et immediate naturam divinam communicet.

Obj. 2.° Voluntas reduplicative ut est voluntas perfectissima, producit unionem perfectissimam objecti amati cum principio amante; *atqui* unio perfectissima est unio in natura: *er-*

Digitized by Google

g. voluntas perfectissima producit unionem in natura. *Nego min.* Nam voluntas, prout remanet in linea voluntatis, non ad aliam tendit unionem, quam ad unionem per affectum, quæ consequenter nunquam potest per se pertingere ad efficiendam unionem identicam, hoc est, ad efficiendum unum identice ex principio amante, et objecto amato.

Q. 10. Ex quarum rerum cognitione procedat Verbum? *R.* Essentialiter, et necessario ex cognitione non solum essentiæ divinæ, et attributorum absolutorum, ut omnes fatentur; sed etiam ex cognitione trium personarum, et creaturarum possibilium. Nam procedit necessario ex cognitione comprehensiva essentiæ divinæ; *atqui* cognitio comprehensiva essentiæ divinæ est ipsamet cognitio attributorum divinorum, personarum divinarum, et creaturarum possibilium, quæ cum natura divina identificantur: *ergo*, &c.

Obj. Cognitio, ex qua Verbum procedit, Verbo producto prior est: item productio Verbi prior est productione Spiritus sancti: *ergo* Verbum non potest produci ex cognitione sui ipsius, et Spiritus sancti. *Dist. ant.* Prior est prioritate originis, *cons.* prioritate temporis, *nego ant.* Cum ergo in quocumque instanti reali simul extiterint Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, nulla est con-

Digitized by Google

procedit: scilicet procedit ab utroque per actum voluntatis, et est terminus amoris divini; *atqui* terminus amoris divini non est principio suo similis in natura vi processionis suæ formaliter; nam actus voluntatis per se non est similitudo, sed tantum pondus aliquod, et impulsus in rem amatam: *ergo* terminus amoris divini non est principio suo similis in natura vi processionis suæ formaliter: *ergo* non est Filius.

Obj. 1. Spiritus sanctus est perfecte similis suo principio: *ergo* procedit per generationem. *Dist. ant.* Est similis suo principio realiter, et identice, *conc.* vi processionis suæ formaliter, *nego ant.* Quod Spiritus sanctus sit Patri, et Filio perfecte similis, id tantum habet ex eo, quod natura divina identificetur amori, per quem procedit. *Inst.* Spiritus sanctus procedit formaliter ut Deus: *ergo* perfecte similis est Patri et Filio vi processionis suæ. *Nego ant.* Nam Spiritus sanctus procedit tantum ut impulsus Patris et Filii, qui licet à parte rei sit Deus propter sui cum divinitate identitatem; tamen sub ratione qua est impulsus, non est Deus, quia non procedit per actionem, quæ per se et immediate naturam divinam communicet.

Obj. 2. Voluntas reduplicative ut est voluntas perfectissima, producit unionem perfectissimam objecti amati cum principio amante; *atqui* unio perfectissima est unio in natura: *er-*

Digitized by Google

go voluntas perfectissima producit unionem in natura. *Nego min.* Nam voluntas, prout remanet in linea voluntatis, non ad aliam tendit unionem, quam ad unionem per affectum, quæ consequenter nunquam potest per se pertingere ad efficiendam unionem identicam, hoc est, ad efficiendum unum identice ex principio amante, et objecto amato.

Q. 10. Ex quarum rerum cognitione procedat Verbum? *R.* Essentialiter, et necessario ex cognitione non solum essentiæ divinæ, et attributorum absolutorum, ut omnes fatentur; sed etiam ex cognitione trium personarum, et creaturarum possibilium. Nam procedit necessario ex cognitione comprehensiva essentiæ divinæ; *atqui* cognitio comprehensiva essentiæ divinæ est ipsamet cognitio attributorum divinorum, personarum divinarum, et creaturarum possibilium, quæ cum natura divina identificantur: *ergo*, &c.

Obj. Cognitio, ex qua Verbum procedit, Verbo producto prior est: item productio Verbi prior est productione Spiritus sancti: *ergo* Verbum non potest produci ex cognitione sui ipsius, et Spiritus sancti. *Dist. ant.* Prior est prioritate originis, *cone.* prioritate temporis, *nego ant.* Cum ergo in quocumque instanti reali simul extiterint Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, nulla est con-

Digitized by Google

tradictio, quod Verbum producatur ex cognitione trium personarum.

Inst. Verbum est imago illius objecti, ex cujus cognitione procedit; *atqui* non est imago sui ipsius, et Spiritus sancti: *ergo*, &c. *Dist. maj.* Est imago objecti, ex cujus cognitione procedit, repræsentativa, *cone.* naturalis, *nego maj.* Ad imaginem repræsentativam sufficit, ut procedat objective ex re cognita; sed ad imaginem naturalem requiritur, ut procedat active, et productive; porro cum Verbum non producatur à cognitione sui ipsius et Spiritus sancti, nisi objective, id est, quatenus sunt objectum paternæ cognitionis, consequens est, ut non sit eorum imago naturalis, sed solius Patris, à quo solo active procedit.

Q. 11. Utrum Verbum procedat etiam ex cognitione omnium creaturarum in aliqua temporis differentia existentium? *R.* Procedit, non quidem necessario, et essentialiter, quia, cum sit summe necessarium, non procedit necessario et essentialiter, nisi ex cognitione absolute necessaria; sed ex earum cognitione procedit concomitanter, et quasi consequenter: quia Verbum procedit ex cognitione omnium rerum, quas repræsentat; *atqui* res omnes in aliqua temporis differentia existentes repræsentat: *ergo*, &c.

Obj. Licet nulla foret creatura præterita,

Digitized by Google

præsens, aut futura, Verbum semper esset idem Verbum: *ergo* non procedit ex earum cognitione. *Dist. ant.* Esset semper idem Verbum, quoad se, *conc.* quoad repræsentationem concomitantem et quasi consequentem, *nego antec.* Si enim nullæ essent creaturæ, nullas utique Verbum repræsentaret.

Q. 12. Utrum Spiritus sanctus procedat à Patre et Filio? *R.* De fide est, ab utroque procedere. Ita enim definitum est in concil. general. Lateran. IV. Lugdunensi II. et Florentino in definitione fidei, quæ an. 1439. solemniter promulgata est, probantibus etiam Græcis, qui à doctrina catholica postmodum recessere, negantque pertinaciter, Spiritum sanctum à Filio procedere, contra quos

Prob. 1.° ex Script. *ad Galat. 4.* dicitur: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.* Joan. *16. Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.... ille*, Spiritus sanctus, *me clarificabit, quia de meo accipiet;* atqui Spiritus sanctus non dicitur Spiritus Filii, non dicitur mitti à Filio, non dicitur accipere à Filio, nisi quia à Filio procedit: *ergo*, &c.

Prob. 2.° *Ex tradit. PP.* Græcorum; S. Martialis (*Epist. ad Burdigalenses*) ait: *Spiritus Domini.... procedens est à Patre et Verbo.* S. Athanas. (in Symbolo) *Spiritus*

Digitized by Google

sanctus à Patre et Filio.... procedens, S. Chrysost. (Hom. 2. in Symbolum) *In Spiritum sanctum credimus, qui procedens de Patre et Filio, charitate conjungitur.* S. Cyrillus (in Thesauro) *Cum Spiritus sanctus.... procedat à Patre et Filio, manifestum est, ex divina essentia ipsum esse.*

Obj. 1.° Patres Græci passim scribunt, Spiritum sanctum ex Patre *per* Filium procedere: *ergo* non crediderunt, eum ex Filio procedere. *Nego conseq.* Nam PP. Græci per particulas *ex*, et *per* idem significant; usu tamen receptum fuit apud ipsos, ut particula *ex* uterentur ad designandum principium sine principio, et particula *per* ad designandum principium ex principio.

Obj. 2.° Conc. Constantinop. 1. Symbolo Nicæno addit hæc verba: *Qui à Patre procedit*, nulla facta mentione *Filii*: *ergo*, &c. *Nego conseq.* Ideo enim conc. Constantinop. non adjecit particulam *Filioque*, non quod Spiritus sanctus non procederet à Filio, sed quia agebat tantum contra Macedonium, et Eunomium qui asserebant, Spiritum sanctum à solo Filio procedere, eumque creaturam esse; et ideo satis fuit Concilio definire, Spiritum sanctum procedere à Patre, non negando, sed supponendo, eum procedere etiam à Filio.

Obj. 3. Si Spiritus sanctus à Patre Filioque procederet, essent duo principia Spiri-

Digitized by Google

tus sancti: falsum conseq. ergo. *Nego cons.* Quia ad multiplicitatem principiorum, non sufficit multiplicitas suppositorum, sed insuper requiritur multiplicitas virtutis spirativæ; *atqui* in Patre et Filio una eademque est virtus spirativa, cum in eis sit unica eademque voluntas: *ergo*, &c.

Q. 13. Utrum particula *Filioque*, jure, ac rationabiliter à conc. Lugdunensi II. addita fuerit Symbolo Nicæno? *R. Affirm.* Quia 1.° id definierunt Patres Florentini: *Definimus*, inquiunt, *explicationem illorum verborum* Filioque, *veritatis declarandæ gratia, et imminente tunc necessitate, licite et rationabiliter Symbolo fuisse appositam....* 2.° Quia Ecclesia habet jus novam particulam Symbolo addendi, quoties id necessarium judicaverit ad fidem catholicam contra insurgentes hæreses clarius explicandam.... 3.° Quia particula *Filioque*, in Symbolo jam continebatur in hac voce: *Qui ex Patre procedit*: non enim potest à Patre procedere, quin procedat etiam à Filio, qui eandem cum Patre habet vim spirandi.

Obj. Concil. Ephesinum expresse prohibuit, ne quis alteram à Nicæna formulam proferret, aut conscriberet; *sed* qui Symbolo addit particulam *Filioque*, alteram fidem profert, &c. ergo. *Nego min.* Nam ille solus alteram fidem profert, qui Symbolo addit aliquid fidei Nicænæ contrarium, quod

Digitized by Google

non facit, qui Symbolo addit particulam *Filioque*, quæ est fidei Nicænæ expositio, et explicatio.

Q. 14. Utrum Spiritus sanctus à Filio distingueretur, si per impossibile ab eo non procederet? *R.* Non distingueretur realiter, quia non esset fundamentum distinctionis: nam sola processio unius personæ ab alia est distinctionis fundamentum, juxta effatum D. Anselmi: *Omnia in divinis sunt unum, et idem, ubi non obviat relationis oppositio*; atqui si Spiritus sanctus non procederet à Filio, nulla inter ipsum, et Filium esset relationis oppositio: *ergo*, &c.

Obj. 1.° Quamvis Spiritus sanctus non procederet à Filio, duæ adhuc essent processiones, una per intellectum, altera per voluntatem: *ergo* in illa hypothesi Spiritus sanctus adhuc distingueretur à Filio. *Dist. ant.* Duæ essent processiones, secundum rationem distinctæ, *conc.* realiter distinctæ, *nego ant.* Nam in illa hypothesi unica realiter processio foret, et una persona producta, quæ, secundum quod per intellectum procederet, Filius; secundum quod per voluntatem, Spiritus sanctus diceretur.

Inst. Saltem illæ duæ processiones essent oppositæ disparate, neque enim una esset altera; *atqui* oppositio disparata sufficit ad fundandam realem personarum distinctionem: ergo. *Nego min.* Nam ad distinctio-

Digitized by Google

nem personarum realem requiritur oppositio relativa originis, ut patet in Patre, in quo paternitas, et spiratio activa opponuntur disparate, nec tamen realiter distinguuntur in Patre.

Obj. 2.° Filiatio, et spiratio passiva distinguuntur realiter; *atqui* inter utrumque est oppositio disparata tantum: *ergo*, &c. *Nego min.* Nam est oppositio relativa ratione spirationis activæ, quæ tam exigit esse in Filio, quam in Patre, quatenus est amor mutuus Patris, et Filii, cujus amoris terminus est Spiritus sanctus.

CAPUT IV.

De Personalitatibus, et relationibus divinis.

Q. 1. Quid sit persona? *R. Substantia intellectualis per se perfecte subsistens, et ultimo completa.* Dicitur 1.° *Substantia intellectualis*, quia accidens, cum sit ens alteri inhærens, non est persona, sicut nec ens irrationale, quod solum dicitur, *Hypostasis, subsistentia*, et *suppositum.* 2.° *Per se perfecte subsistens*, id est, quod non communicetur alteri tanquam supposito, ita ut nec in esse, nec in operari ab alio dependeat. Hinc humanitas Christi non est persona, quia unitur Verbo divino tanquam

Digitized by Google

supposito, à quo dependet in esse et in operari. Dicitur 3.° *Ultimo completa*, id est, quod non ordinetur ad aliud, ut cum illo constituat totum; hinc nec manus, nec anima rationalis sunt personæ.

Q. 2. Quid sit personalitas, seu subsistentia, et quot sint in Deo? *R.* Subsistentia est: *Forma*, seu *modificatio naturæ intellectualis, per quam natura constituitur per se perfecte subsistens, et ultimo completa.* Tres subsistentiæ relativæ, sunt in Deo; nam in Deo sunt tres personæ, ut fides docet: *ergo* et tres subsistentiæ relativæ, nimirum, paternitas, filiatio, et spiratio passiva.

Q. 3. Utrum præter tres subsistentias relativas, quarta admittenda sit, communis et absoluta? *R. Negat.* Quia effectus formalis subsistentiæ est constituere veram personam: *ergo*, si esset in Deo subsistentia absoluta, et communis, essent in Deo quatuor personæ, quod fidei catholicæ repugnat. Præterea illa subsistentia, vel esset communicabilis alteri, vel non: *si primum*, non esset persona; *si secundum*, esset in Deo unica subsistentia, et consequenter unica persona, quod repugnat fidei catholicæ.

Obj. 1.° Deus, præcisis relationibus, est per se subsistens; *atqui* non est per se subsistens subsistentia relativa: *ergo* subsistentia absoluta. *Dist. ant.* Est per se subsistens, quatenus to *per se subsistens* opponitur ac-

Digitized by Google

cidenti, *conc.* quatenus dicit naturam ultimo terminatam, *nego ant.* Porro hoc ultimo sensu accipimus nomen *subsistentiæ.*

Obj. 2.° Subsistentia absoluta est perfectio; *ergo* Deo tribuenda. *Dist. ant.* Est perfectio non excludens imperfectionem, *conc.* omnem imperfectionem excludens, *nego ant.* Itaque subsistentia absoluta redderet naturam divinam incommunicabilem; unde in Deo esset unica persona, quod est maxime imperfectum.

Q. 4. Quid sit relatio originis, et quot sint in Deo? *R.* Relatio originis est: *Ordo*, seu *respectus unius personæ divinæ ad alteram.* Potest spectari secundum *esse in*, id est, prout afficit subjectum, in quo est; et secundum *esse ad*, id est, prout respicit terminum, ad quem refertur. Quatuor sunt in Deo relationes, nempe paternitas, filiatio, spiratio activa, et spiratio passiva: quia singulis processionibus duæ respondent relationes, una producentis ad productum, altera producti ad producentem; *atqui* duæ sunt in Deo processiones: *ergo.* Originis relationes sunt reales: nam 1.° fundantur in reali origine unius personæ ab alia: 2.° per eas personæ ab invicem realiter distinguuntur; *atqui* distinctionis realis fundamentum reale est: *ergo*: 3.° in Deo existunt absque mentis opera, et nemine cogitante: *ergo.*

Obj. Relatio realis dicit dependentiam

*

Digitized by Google

unius ab altero: *ergo* in Deo nulla est relatio realis. *Dist. ant.* Dicit dependentiam improprie dictam, et connexionis, *conc.* proprie dictam et causalem, *nego ant.* Itaque relationes divinæ efficiunt quidem, ut personæ habeant connexionem cognitionis existentiæ: correlativa enim sunt simul natura et cognitione, cum non possit esse, et cognosci Pater, quin sit, et cognoscatur Filius: sed non efficiunt, ut personæ à se invicem pendeant tanquam effectus à causa, quia per illas natura non producitur, sed communicatur.

Q. 5. Quomodo relationes divinæ inter se distinguantur? *R.* Vel sibi mutuo opponuntur, ut sunt paternitas, filiatio, et spiratio passiva, vel non. *Si primum*, realiter distinguuntur; *si secundum*, non distinguuntur realiter; quia *in divinis omnia sunt unum et idem, ubi non obviat relationis oppositio.* Hinc spiratio activa non distinguitur realiter à paternitate, et filiatione.

Obj. 1.° Paternitas et filiatio non opponuntur spirationi passivæ: *ergo* ab illa non distinguuntur realiter. *Dist. ant.* Non opponuntur per se et immediate, *conc.* mediante spiratione activa, cum qua identificantur, *nego ant.*

Obj. 2.° Paternitas et spiratio activa habent terminos realiter distinctos: *ergo* distinguuntur realiter. *Nego conseq.* Quia ad pro-

Digitized by Google

ductionem terminorum realiter distinctorum sufficit distinctio virtualis; porro paternitas et spiratio activa distinguuntur virtualiter. *Inst.* Spiratio activa in Patre communicatur Filio, paternitas non communicatur: *ergo* distinguuntur realiter. *Nego conseq.* Eadem quippe res sub diverso respectu communicatur, et non communicatur: sic licet paternitas, et spiratio activa sint in Patre eadem res; tamen communicatur Filio, quatenus ei non opponitur relative; non communicatur, quatenus ei relative opponitur: porro sola paternitas opponitur Filio relative.

Q. 6. Utrum relationes divinæ sint perfectiones? *R.* Utique, sive spectentur secundum *esse in*; quia sic spectatæ modificant, ac determinant naturam divinam ad esse Patris, aut Filii, aut Spiritus sancti. Sive spectentur secundum *esse ad*, ut docent Thomistæ contra Scotistas; quia etiam sic spectatæ sunt in Deo, nemine cogitante; *at* quidquid est in Deo realiter, est perfectio: *ergo*, &c.

Obj. Si relationes secundum *esse ad* essent perfectiones, *sequeretur* 1.° tres personas simul sumptas plus continere perfectionis, quam una sola persona; hæretieum conseqi *ergo*, &c. *Sequeretur* 2.° unam personam non habere omnes perfectiones. *R. Ad* 1. *nego ant.* Quia una persona, non minus quam

Digitized by Google

tiones. *Nego ant.* Disparitas est, quod *innascibilitas* aliquam exhibet dignitatem in Patre; nam ex eo quod non producatur, sequitur, quod sit principium totius deitatis; sed *improductivitas* nullam importat dignitatem: alias perfectior esset illa creatura, quæ producere non posset, quod falsum est.

Q. 3. Quid sit circuminsessio, et an detur in Deo? *R.* Circuminsessio est: *Personarum divinarum intima in se mutuo inexistentia:* quare ad illam duo requiruntur, nimirum identitas naturæ, et distinctio personarum. Datur in Deo circuminsessio personarum. Nam Christus (*Joan.* 14.) dicit: *Non creditis, quia ego in Patre et Pater in me est.* Et paulo post: *Pater in me manens ipse facit opera.* Ratio est, quia habent unam, eandemque naturam indivisibilem.

Obj. Si Pater sit in Filio, Filius erit Pater, nam in Filio erit Paternitas: hæreticum consequens: ergo. *Nego seq. ant.* et *dist. probationem*; in Filio erit paternitas *identice*, ratione nimirum essentiæ divinæ, quæ una, eademque numero est in tribus personis, *conc.* formaliter, id est, per modum formæ hypostaticæ, et proprietatis personalis, cujus est constituere personam, *nego.*

Q. 4. Quid sit divinarum personarum missio? *R. Processio unius personæ ab alia, cum habitudine ad novum existendi modum in creaturis.* Dicitur 1.° *Processio*, quia per-

Digitized by Google

sona, quæ non procedit, proprie non mittitur: *Pater*, inquit D. Aug. (*l. 4. de Trinit. cap. 20.*) *non dicitur missus; non enim habet, ex quo procedat.* 2.° *Cum habitudine ad novum existendi modum, &c.* ut designetur quod missio fiat in tempore, nec sit æterna ex parte respectus, quem dicit ad creaturam, vel locum, in quo incipit esse novo modo.

Q. 5. An detur missio in divinis, et quotuplex sit? *R.* Datur talis missio: dicitur enim, *Joan. 8. Solus non sum, sed ego, et qui misit me Pater.* Et *Joan. 15. Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre.* Duplex est missio in divinis, visibilis nempe, et invisibilis: 1.ª est ea, quæ fit in specie sensibili: talis fuit missio Filii in carne assumpta, et Spiritus sancti in specie columbæ super Christum: 2.ª est ea, quæ fit sine specie sensibili per gratiam interiorem, qua Deus homines sanctificat.

DISSERTATIO II.

De Personis divinis in particulari.

Nota. Cum jam multa de personis divinis in particulari exposuerimus, restat hic de earum nominibus, tam propriis, quam appropriatis, agendum.

Nomen *proprium* est illud, quod uni per-

Digitized by Google

sonæ realiter ita convenit, ut alteri minimè convenire possit: *Appropriatum* vero, quod, licet realiter toti Trinitati sit commune, tamen propter quamdam rationem specialem, uni personæ singulari modo tribuitur.

Q. 1. Quot sint nomina primæ personæ propria? *R.* Dicitur 1.° *Pater*, quia proprie generat Filium: 2.° *Ingenitus*, non quia non nascitur, hoc enim sensu Spiritus sanctus est ingenitus; sed quia non producitur: 3.° *Principium fontale totius divinitatis*, quia Filio et Spiritui sancto divinitatem ex sua infinita fecunditate communicat; unde *divinitas* sumitur hic in concerto pro personis, quæ à Patre ducunt originem.

Q. 2. Utrum Pater possit etiam dici causa, et auctor Filii et Spiritus sancti? *R.* 1.° Juxta usum latinæ vocis non potest ita vocari; quia causa apud Latinos definitur: *Principium influens esse in aliud*; unde importat diversitatem substantiæ, et dependentiam unius ab alio. *R.* 2.° Apud Græcos *Pater* sæpius dicitur causa, et auctor Filii et Spiritus sancti; sed improprie et lato modo: quia per illas voces intelligunt duntaxat principium originis, ut luculenter explicat Cardinalis Bessarion, (*sess.* 25. *Concil. Florentin.*)

Q. 3. Quodnam sit nomen primæ personæ appropriatum? *R.* Per appropriationem dicitur *primum creaturarum principium*; quare vocatur *Pater noster*, *Creator omnium*.

Digitized by Google

Congruenter enim ratio primi principii creaturarum appropriatur ei, qui primum est in Trinitate principium.

Q. 4. Quænam sint nomina secundæ personæ propria, et quodnam sit nomen appropriatum Filio? *R.* Dicitur 1.° *Filius*, quia procedit per veram generationem: 2.° *Verbum*, quia est terminus ab intellectu Patris fecundo productus: 3.° *Imago*, quia est similis Patri in natura vi processionis suæ formaliter, ut supra probavimus. Nomen appropriatum Filio est *sapientia*: cum enim hæc sit virtus intellectus, congruentissime appropriatur Filio, qui est terminus sapientissimæ intellectionis.

Q. 5. Quænam sint nomina tertiæ personæ propria, et quænam Spiritui sancto appropriata? *R.* Dicitur 1.° *Spiritus sanctus*, non quidem hoc sensu, quod sit immaterialis, omnis impuritatis expers; sic enim est nomen essentiale, commune tribus personis; sed hoc sensu, quod sit *spirata*, et quidem per voluntatem, à qua est omnis sanctitas: 2.° *Donum*, quia procedit ex voluntatis inclinatione, cujus est dare gratuito, et sine spe retributionis: ergo est donum notionaliter sumptum: 3.° *Amor*, quia est terminus subsistens, ac personalis mutui amoris Patris, et Filii. Spiritui sancto tribuuntur omnia opera bonitatis, charitatis, et misericordiæ, quia ex perfectissima charitate proce-

Digitized by Google

dit. Hinc vocatur *Paracletus*, id est, consolator: consolatur enim nos per dona gratiæ, quibus nos cumulat.

DISSERTATIO III.

De Mutua Prædicatione nominum absolutorum de relativis, et relativorum de absolutis.

Q. 1. Quomodo nomina absoluta abstracta prædicentur de personis? *R.* In singulari, non vero in plurali: hinc recte dicitur: *Tres personæ sunt una deitas, una sapientia, &c.* sed perperam diceretur: *Sunt deitates, sapientiæ, &c.* Ratio est, quia nomina abstracta formam sine subjecto significant; *atqui* in Deo est unica forma: *ergo*, &c.

Q. 2. Quomodo nomina absoluta concreta prædicentur de personis? *R.* Si sint nomina substantiva, vel adjectiva substantive sumpta, prædicantur de his in singulari tantum; si vero sint adjectiva, prædicantur de personis in plurali. Ratio est, quia forma in nominibus substantivis, vel adjectivis substantive usurpatis significat per modum substantiæ, et habentis esse per se: è contra in adjectivis significat per modum accidentis, seu adjacentis suo supposito, et in eo esse habentis: *ergo* in nominibus substantivis, vel adjectivis substantive usurpatis, singularitas,

Digitized by Google

vel pluralitas petitur à singularitate, vel pluralitate formarum; et in adjectivis petitur à singularitate, vel pluralitate suppositorum; *atqui* in Deo est unica substantia, plura vero sunt supposita: *ergo*, &c. Hinc recte dicitur: *Tres personæ sunt unus Deus, unus creator*; sed perperam dicitur: *Sunt tres Dii, tres creatores.* Recte etiam dicitur: *Tres personæ sunt tres creantes*, &c.

Q. 3. Utrum personæ possint prædicari de nomibus absolutis? *R. Affirm.* Ratio est, quia inter personas, et essentiam est realis identitas. Hinc istæ propositiones sunt veræ: *Essentia*, seu, *Deus est tres personæ. Essentia est Pater*; *Deus*, vel, *essentia est paternitas.*

Q. 4. Utrum nomina absoluta abstracta supponant pro personis, et an supponant etiam pro his nomina absoluta concreta? *R.* Non supponunt pro personis nomina absoluta abstracta: Aliàs essentia produceret seipsam, cum eadem numero sit essentia in tribus personis. Hinc si hæc propositio, *essentia generat*, esset vera, redderet hunc sensum: *essentia producit seipsam*, quod repugnat; producens enim realiter debet distingui à producto. Sed nomina absoluta concreta aliquando supponunt pro essentia, aliquando pro persona. Nam hæ propositiones sunt veræ: *Deus creat*, *Deus generat*; atqui in prima *Deus* supponit pro essentia; in secunda vero, pro persona: *ergo*, &c.

Digitized by Google

TRACTATUS IV.

De Deo Creatore.

Moyses *Genes.* 1. narrat creationem hujus mundi aspectabilis sex diebus perfectam fuisse, refertque, quid singulis diebus productum fuerit; ad quem remittimus eos, qui ordinem creationis voluerint scire, ut disseramus 1.° de Angelis: 2.° de primo homine.

DISSERATIO I.

De Angelis.

Agemus 1.° de existentia, natura Angelorum, et de statu, in quo fuerunt conditi: 2.° De loco, motu, potentia motrice, et locutione Angelorum: 3.° De eorum peccato, et ejusdem pœna: 4.° De variis eorum ordinibus, ac de eorum missione, illuminatione, et custodia.

CAPUT I.

De Existentia, natura, et statu, in quo Angeli fuerunt conditi.

Q. 1. Utrum existant Angeli, et quo tempore fuerint creati? *R.* Existunt: de iis enim

Digitized by Google

frequenter loquitur Scriptura, *Genes.* 22. *Angelus Domini de cælo clamavit, dicens, Abraham.* Matth. *18. Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris.* Hæc veritas definita est in Concilio Lateran. cap. *Firmiter.* Angeli simul cum mundo creati sunt, nec ante, ut constat ex cap. *Firmiter*, et prob. ex *Genes. 1.* ubi dicitur: *In principio creavit Deus cælum, et terram*, ubi sub nomine *cæli* comprehendit Angelos, ut explicatur *Exodi* 20. *Sex diebus fecit Dominus cælum, terram, et omnia, quæ in eis sunt*: ergo et Angelos, qui in cœlis continentur.

Q. 2, Quid sit Angelus? *R. Substantia creata, spiritualis, completa.* Dicitur 1.° *Substantia creata*, id est, per se subsistens, et ex nihilo producta: 2.° *Spiritualis*, id est, incorporea: sunt enim *administratorii Spiritus*, ut ait Apost. *ad Hebr. 1.* atqui ex *Lucæ 24. Spiritus carnem, et ossa non habet*: ergo. 3.° *Completa*, id est, non ordinata ad alterius compositionem; per hoc ab anima rationali distinguitur, quæ quidem est spiritualis, sed incompleta, et ordinata ad corpus, quocum unum per se efficit. Hinc Angelus est immortalis, et incorruptibilis, quia non constat ex partibus, quæ dissolvi possunt, utpote Spiritus.

Q. 3. In quo statu Angeli fuerint creati? *R.* 1.° In statu beatitudinis naturalis: quia

Digitized by Google

fuerunt creati in perfectione excludente omnem miseriam: miseria enim est pœna peccati. *R.* 2.° Non fuerunt creati in statu beatitudinis supernaturalis: Nam de hujus ratione est stabilitas, et confirmatio in bono; *atqui* Angeli, statim ut creati sunt, stabiliti, et confirmati non fuerunt in bono, ut patet ex lapsu malorum Angelorum: *ergo*, &c. *R.* 3.° Fuerunt creati in statu gratiæ sanctificantis, ut constat ex *Ezech. 18.* ubi quod de rege Tyri ad litteram dicitur, à SS. Patribus de lucifero intelligitur: *Ambulasti perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te*; ergo per peccatum amisit perfectionem, non naturalem: *ergo* supernaturalem: *sed* perfectio supernaturalis consistit in gratia sanctificante: *ergo*.

CAPUT II.

De Loco, motu, potentia motrice, et locutione Angelorum.

Q. 1. An Angeli sint in loco, et quomodo? *R.* Sunt: nam *Apoc.* 20. dicitur, diabolum fuisse ligatum, et missum in abyssum: *ergo* est in loco, aliàs esset nullibi, quod repugnat. Angeli sunt in loco *definitive*, quia certo spatio ita continentur, ut non sint alibi. Sed non sunt in loco *circumscriptive*,

Digitized by Google

quia non habent partes, quæ variis partibus loci correspondeant, cum omnis materiæ sint expertes.

Q. 2. An Angeli moveantur localiter, et an possint hoc modo movere corpora? *R.* Moventur: nam transeunt de loco in locum fluxu continuo. Constat ex *Lucæ* 2. ubi dicitur: *Discesserunt Angeli à pastoribus in cœlum.* Angeli possunt movere localiter corpora: ex *Danielis* enim 14. Angelus portavit Prophetam Habacuc ex Judæa in Babylonem.

Q. 3. An Angeli inter se colloquantur, et quomodo? *R.* Colloquuntur, ex *Isaiæ* 6. ubi dicitur: *Duo Seraphim clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, &c.* Angeli inter se colloquuntur: Angelus autem alterum Angelum alloquitur, suam intellectionem, aut volitionem ad illum dirigendo per actum, quo vult, ut utraque, vel alterutra, illi pateat. Nam loqui ad alterum nihil aliud est quam conceptus mentis alteri manifestare, ait D. Thom. (*1. p. q. 107. art. 1.*)

CAPUT III.

De Peccato Angelorum, et eiusdem pœna.

Q. 1. Quodnam fuerit peccatum Angelorum? *R.* Superbia, quia æqualitatem cum Deo desideraverunt, in eo desiderio mirum

Digitized by Google

in modum sibi complacentes: nam *Isaiæ* 14. de diabolo sub nomine Regis Babylonis dicitur: *Detracta est ad inferos superbia tua... quomodo cecidisti de Cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris? qui dicebas in corde tuo*: In Cœlum conscendam.... similis ero Altissimo.

Q. 2. Quot Angelos Lucifer secum traxerit? *R.* Cum D. Thom. (1. p. q. 63. art. 8.) *Eum quam plurimos secum traxisse, quamquam non tot, quot in gratia cum suo duce Michaele remanserunt*; nam *Apoc.* 12. legitur: draconem traxisse post se tertiam partem stellarum, id est, Angelorum, ut interpretantur Patres, et Theologi.

Q. 3. Quotuplex pœna consecuta est peccatum dæmonum? *R.* Quadruplex, 1.ª est *cæcitas mentis*, per quam privantur omni penitus lumine, non quidem naturali, quia peccatum non dextruit naturam; sed supernaturali, ex quo fit ut nullum ordinem habeant ad vitam æternam, ex *Ezech.* 28. ubi legitur: *Ejeci te de monte Dei*, id est, *de gratia, et perdidi te, ò Cherub*: 2.ª *Obstinatio voluntatis in malo*, qua fit, ut nullum possint exercere actum moralem omnino bonum; unde vocantur spiritus mali ex *Psal.* 77. *Immissiones per Angelos malos*: 3.ª est *exclusio à gloria*::: 4.ª *tormentum ignis*.

Q. 4. An detur aliquis locus in terræ visceribus ad dæmonum cruciatus destinatus? *R.*

Digitized by Google

Datur: Ut testatur D. Petrus (*Epist. 2. c. 2.*) dicens: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos ad tartarum tradidit cruciandos.*

Q. 5. An dæmones torqueantur igne vero, et corporeo; et quomodo? *R.* Torquentur: hic est communis Patrum, et Ecclesiæ sensus in scriptura fundatus: dicitur enim *Deut. 32. Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima: et Matth. 25.* »Discedite à me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et ejus Angelis.» Quomodo dæmones igne corporeo torqueantur, est quæstio mere philosophica, de qua nihil certi posse haberi in hac vita ingenue fatetur D. August. (*lib. 21. de Civit. Dei cap. 10.*) dicens: »Quamvis miris, tamen veris modis, etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi.»

CAPUT IV.

De Variis Angelorum ordinibus, ac de eorum missione, illuminatione, et custodia.

Q. 1. Utrum Angeli sint in magno numero, et quomodo ordinentur? *R.* Sunt: Nam *Daniel. 7. v. 10.* legitur: *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Angeli ordinantur in *Hierachias*, et *Choros*::: Hierarchia defini-

Digitized by Google

tur: *Multitudo ordinata sub unius sacri Principis gobernatione* ad sacras functiones destinata::: Chorus vero: *Hierarchiæ Angelicæ gradus unus*, conveniens in Hierarchiæ suæ communi modo illuminationis, distinctus secundum officia diversa.

Q. 2. Quot sint Hierarchiæ Angelorum, et quot eorum chori? *R.* Tres à D. Dionys. recensentur (*lib. de cœlesti Hierarchia c. 6.*) nempe *suprema*, quæ immediate à Deo recipit illuminationes, easque transmittit Angelis secundæ Hierarchiæ.... *media*, quæ divinas illuminationes immediate recepit ab Angelis primæ Hierarchiæ, easque transmittit Angelis tertiæ Hierarchiæ.... *infima*, quæ divinas illuminationes recipit ab Angelis secundæ Hierarchiæ, easque transmittit hominibus. *Chori* Angelorum sunt novem, nempe tres in qualibet Hierarchia..... In prima continentur *Seraphini*, *Cherubini*, et *Throni*.... In secunda sunt *Dominationes*, *Virtutes*, et *Potestates*.... In tertia *Principatus*, *Archangeli*, et *Angeli*.

Q. 3. Utrum, et à quo Angeli mittantur? *R.* Hominibus à Deo mittuntur, tum ad quædam ipsis exhibenda ministeria; tum ad ipsis prænuntianda ventura; sic *Tobiæ* 12. Angelus Raphael ait: *Tempus est, ut revertar ad eum, qui me misit.* Et Luc. 1. *Missus est Angelus Gabriel à Deo*, &c. Et etiam possunt Angeli ab aliis superioris Hierarchiæ

Digitized by Google

mitti: Quia inter eos est prælatio, nam *Daniel. 10. v. 13. Michael* dicitur *unus de principibus primis.*

Q. 4. Utrum Angeli illuminent homines, et an ad horum custodiam deputentur? *R.* Illuminant. Est de fide, nam revelant hominibus plures veritates juxta illud *Daniel. 9. Docuit me* (Gabriel) *dixitque, Daniel, nunc egressus sum ut docerem te, et intelligeres*, &c. Ad hominum custodiam Angelos deputari fides docet, ut constat ex *Psal.* 90. ubi dicitur: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te.*

Q. 5. An singuli fideles suum habeant Angelum custodem? *R. Affirm.* Constat ex *Matth. 18. v. 10.* ubi Christus ait: » Videte, non contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.» Ubi Christus cum dicit *Angeli*, significat, non unum, sed plures pluribus præfici; cum dicit *Angeli eorum*, significat, singulos Angelos singulis deputari. Unde S. Hieronym. in cap. 18. *Matthæi* exclamat: *Magna dignitas animarum, ut unaquæque ab ortu nativitatis habeat in custodiam sui Angelum delegatum.* Ubi non distinguit inter fideles, et infideles, ac reprobos.

Q. 6. Utrum singula regna habeant Angelos custodes? *R. Affirm.* Nam *Danielis 10.* fit mentio Angeli, qui præerat regno Persa-

Digitized by Google

sum, et alterius Angeli, qui præerat regno Græcorum: unde D. Basilius de Angelis agens, ait: *Alii ipsorum gentibus præpositi sunt, alii fidelium singulos consequuntur.* Imo communis est sententia Patrum, singulas Diœceses, Civitates, et Communitates suos Angelos tutelares habere. Ita docent Origenes, (*Hom. 20. in Numeros.*) D. Ambros. (*lib. 2. in Lucam*) &c.

Q. 7. Quænam ministeria circa nos exerceant Angeli custodes? *R.* 1.° Homines à periculis imminentibus liberant: nam *Genes.* 48. dicit Jacob: *Angelus, qui eripuit me de cunctis malis...* 2.° Impediunt, ne dæmones hominibus noceant, ex *Tob.* 8.... 3.° Pias cogitationes suggerunt ad prosecutionem boni et fugam mali; unde Deus Moysen hortatur, ut audiat Angelum ex *Exodi 23. Observa eum et audi vocem ejus, nec contemnendum putes: quia non dimittet, cum peccaveris, et est nomen meum in illo....* 4.° Preces nostras Deo offerunt, suasque nostris conjungunt, nam *Apoc.* 8. legitur: *Alius Angelus venit... ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei....* 5.° Clientum suorum animas in Purgatorio consolantur, easque plene purgatas ad cœlum deducunt; *Luc. 16.* dicitur: *Factum est autem, ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.*

Digitized by Google

Q. 8. Utrum quilibet homo ad pugnam habeat angelum malum? *R.* 1.° Quod dæmones hominibus semper nocere conentur, eos, Deo ita permittente, impugnando, et ad peccatum impellendo: quare Apost. *ad Ephes.*6. docet, nos debere colluctari *adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum.* 2.° Non est credendum, quod Deus cuilibet homini tentatorem mittat ad exercitium; quia hoc repugnat bonitati Dei, qui, *Jac.* 1. *Neminem tentat.* 3.° Valde probabile est, luciferum cuilibet homini dæmonem tentatorem deputasse, ut colligi posse videtur ex 1. *Petri* 5. ubi legitur: »Vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quærens, quem devoret.«

DISSERTATIO II.

De Primi hominis creatione.

Q. 1. Quinam fuerint primus homo, et prima mulier? *R.* Adam et Eva. Est de fide contra Præadamitas. Dicitur enim *Genes.* 2. »Homo non erat, qui operaretur terram... formavit igitur Dominus Deus hominem, &c. Et *Sap.* 10. Hæc (sapientia) illum, qui primus formatus est à Deo Pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit.«

Q. 2. Ubinam fuerint conditi Adamus et

Digitized by Google

Eva; et quomodo? *R.* Fuerunt conditi extra Paradisum voluptatis, in quem paulo post translati fuere; dicitur enim *Genes. 2. Tulit ergo Deus hominem, et posuit in Paradiso voluptatis.* Ubi per to *hominem* intelligitur Adamus, et Eva, juxta illud *Genes. 1. Creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum et fœminam creavit eos.* Adam ex limo terræ formatus fuit à Deo, qui *inspiravit in faciem ejus inspiraculum vitæ*, id est, animam, ex *Genes. 1.* unde corpus ex præsupposito subjecto productum est; anima è contra ex nihilo creata est.... Sed corpus Evæ formatum est ex costa Adam, quam Deus extraxit, et spatium, quod occupabat, replevit carne: ita in *Genes. 1.*

Q. 3. Quare Scriptura dicat, mulierem esse datam viro in adjutorium? *R.* Eo quod data sit ad filiorum generationem: *Ad quod aliud adjutorium mulier facta sit viro*, inquit D. August. (*lib. 9. de Genes.* ad litteram, *cap. 7.*) *si generandi causa subtrahatur?*

Q. 4. In quo consistat imago et similitudo Dei, ad quam homo factus est? *R.* In eo quod homo intellectu, voluntate libera, et dominio in alias creaturas sit præditus: per has facultates enim pro modulo suo, imitatur suum exemplar, nempe per intellectum efformat verbum, in quo ipsi repræsentantur

Digitized by Google

omnia, quæ sub ejus notitiam cadunt: Per voluntatem liberam non solum producit amorem eorum omnium, quæ intellectus amanda proponit; sed etiam actuum suorum est Dominus, atque præest cunctis animantibus; ideo dicitur: »Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et præsit piscibus maris, et volatilibus cœli, &c.

Q. 5. In quo statu primus homo fuerit creatus? *R.* In statu justitiæ originalis; Nam *Eccli.* 7. dicitur: *Deus fecit hominem rectum*; Atqui illa rectitudo est justitia originalis, qua anima hominis erat perfecte subdita Deo, et appetitus sensitivus perfecte subditus animæ, &c. *ergo.*

Q. 6. Quot sint dotes justitiæ originalis? *R.* Quinque: 1.ª est *gratia sanctificans*, quam in suo ortu accepit primus homo juxta illud *Eccli.* 17. *Deus creavit de terra hominem... et secundum se vestivit illum virtute.* Quem textum Patres ac interpretes intelligunt de gratia justificante, quam Adamus accepit in sua creatione: 2.ª *dos* est *scientia*, quam primus homo in suo ortu tantam accepit à Deo, ut non potuerit esse errori obnoxius ex illo *Eccl.* 17. *Deus... disciplina intellectus replevit illos, creavit illis scientiam spiritus.* Quare D. August. (*lib.* 3. *de lib. arbitr. c.* 18.) dicit: »Approbare falsa pro veris, ut erret invitus, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.«

Digitized by Google

Obj. Eva innocens dicit *Genes. 3. Serpens decepit me, et comedi*: ergo. *R. Neg. ant.* Enim vero Eva innocens non erat quando fuit decepta; jam enim peccaverat in corde per internam nimirum electionem, ait D. August. (*lib. 11. de Gen. ad litteram.*)

3.ª *Dos* est subjectio partis inferioris ad superiorem, qua homo innocens nullis inordinatis concupiscentiæ motibus fuit obnoxius. Nam *Eccl. 17.* legitur: *Deus fecit hominem rectum*; atqui non fuisset rectus, si inordinatis concupiscentiæ motibus fuisset obnoxius: *ergo.* Hinc Concil. Trid. (*sess. 5. can. 5.*) definivit, concupiscentiam ideo ab Apostolo dici peccatum, *quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat.*

4.ª *Dos* est *immortalitas*, ut fide constat contra Pelagium: nam *Sap. 2.* dicitur: *Deus mortem non fecit; invidia autem diaboli mors intravit in mundum:* Et *Rom. 5. Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors.* Hinc Synodus Palæstina hanc Pelagii propositionem damnavit ut hæreticam: *Adamus mortalis factus est, ita ut, sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset.* Idem definivit Concil. Trid. (*sess. 5. can. 1.*)

Obj. Corpus primorum parentum ante peccatum constabat ex elementis contrariis non secus ac nunc: *ergo* erat mortale. *Nego conseq.* Quia per dotem immortalitatis, quam

Digitized by Google

homo innocens à Deo accepit in suo ortu, pugna elementorum fuit taliter impedita, ut nullam homini læsionem afferre potuerit, et sic mori non potuerit.

Inst. 1.° Corpus Adami innocentis tandem consenuisset: ergo. *Nego ant.* Nam ex D. August. (*lib. de peccat. meritis, cap.* 3.) corpus Adami innocentis *habebat.... de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem. Inst.* 2.° Corpus Adami potuit obrui aqua, igne, ferro, &c. Ergo. *Nego ant.* Quia singulari Dei providentia fuisset conservatum. *Inst.* 3.° D. Aug. loco cit. dicit: *Illud corpus*, hominis innocentis, *jam erat mortale*: ergo, &c. *Dist. ant.* Erat mortale, id est, poterat mori, *conc.* debebat mori, *nego ant.* Unde addit D. August. *Sed ipsum mortale non est factum mortuum nisi propter peccatum.* Et *l.* 1. *operis imperfecti contra Julian.* dicit: *Poterat mori: poterat namque peccare.* Et *l.* 6. *de Gen. ad litt. c.* 25. *Mortalis ergo erat conditione corporis animalis; immortalis autem beneficio conditoris.*

5.ª *Dos* est *immunitas ab omni miseria;* quia erant beati beatitudine naturali: *Quis enim*, ait D. August. (*l.* 11. *de Civit. Dei, cap.* 12.) *primos illos homines in paradiso negare audeat beatos fuisse ante peccatum?*

Obj. Homines in statu innocentiæ famem et sitim passi fuissent: ad eas enim extinguendas usi fuissent cibo et potu: ergo. *Nego*

Digitized by Google

ant. Neque enim cibus datus est hominibus innocentibus, ut famem extinguerent, sed ut ipsam vitarent, ait D. Aug. (*lib. 14. de Civit. Dei, cap. 26.*)

Q. 7. Quid sit status naturæ puræ. *R.* Est *conditio naturæ humanæ consideratæ in meris suis perfectionibus naturalibus absque gratia et peccato; obnoxiæ tamen iisdem, quibus natura lapsa premitur, infirmitatibus*, nimirum fami, siti, ægritudini, morti, et concupiscentiæ.

Q. 8. Utrum status naturæ puræ fuerit possibilis? seu, quod idem est, *utrum justitia originalis, sanctitas, immortalitas, &c. fuerint homini innocenti supernaturales?* Ad hujus quæstionis intelligentiam: *Nota: naturaliter* hic dicitur, quod est secundum exigentiam naturæ, ipsique debitum, vel tanquam ejus pars, vel tanquam proprietas ex ejus principiis fluens, ita, ut sine injustitia ipsi denegari non possit.... *Supernaturale* est, quod superat omnem naturæ humanæ exigentiam, eique plane indebitum est.

R. Affirm. Et prob. 1.° ex his prop. Baii à Pio v. Greg. XIII. et Urbano VIII. damnatis.... Prop. 21. »Humanæ naturæ sublimatio et exaltatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis; et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis... Prop. 23. Absurda est eorum sententia, qui dicunt hominem ab ini-

Digitized by Google

tio dono quodam supernaturali et gratuito supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, spe, et charitate Deum supernaturaliter coleret.... Prop. 35. Quesnelli: Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturæ sanæ, et integræ.»

Prob. 2.° Deus potest hominem creare cum defectibus naturalibus: *Quamvis*, inquit D. August. (*lib. 1. retract. cap. 9.*) *ignorantia et difficultas, etiamsi essent primordia hominis naturalia, neç sic culpandus, sed laudandus esset Deus*; Atqui concupiscentia, mortalitas, &c. sunt defectus naturales, qui non possunt, nisi Creatoris gratia, impediri: *ergo*, &c.

Obj. 1.° Deus non potuit hominem creare cum concupiscentia et ignorantia; 1.° Quia sunt pœnæ peccati; 2.° Quia concupiscentia inclinat ad peccatum: ergo. *Dist. ant.* Nam 1.° sunt pœnæ peccati in statu præsenti, *conc.* in statu naturæ puræ, *nego ant.* Nam tunc, *non supplicium peccati, sed proficiendi admonitio et perfectionis exordium fuisset*, ait D. August. (*lib. de lib. arb. c. 20.*) 2.° Concupiscentia non inclinat ad peccatum *per se*, cum potentia sit concupiscendi bona sensiblia, quo sensu est bonum naturæ; sed tantum *per accidens*, quod Deus permissiset ex munere causæ primæ.

Obj. 2.° Deus non potuit creare hominem sine ordinatione ad suum finem ultimum: *er-*

Digitized by Google

go nec potuit eum creare sine justitia et sanctitate ad illum finem assequendum ordinatis. *Dist. ant.* Sine ordinatione ad suum finem ultimum naturalem, qui consistit in perfecta quadam contemplatione Dei abstractiva, et ejusdem, ut auctoris naturæ, amore, qui viribus naturæ non depravatæ elici potest, *conc.* sine ordinatione ad suum finem supernaturalem, qui consistit in visione Dei intuitiva, et amore fruitivo, *nego ant.*

Inst. Deus non potuit creare hominem in eo statu, in quo non potuisset amare Deum propter se; *atqui* in statu naturæ puræ homo non potuisset amare Deum propter se: *ergo*, &c. *Dist. min.* Homo non potuisset amare Deum propter se amore supernaturali, *conc.* ad hoc enim requiritur gratia, qua in illo statu caruisset. Non potuisset amare Deum amore naturali, *nego min.* Ad hoc enim sufficere possunt media naturalia, quibus Deus hominem juvasset in illo statu. Porro amor naturalis est possibilis, ut constat ex damnatione hujus propositionis Bajanæ: "Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ; et gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia, et ad illudendum sacris litteris et plurimis veterum testimoniis excogitata."

Q. 9. Quodnam fuerit peccatum primorum parentum, et quænam hujus causa? *R.* Fuit

Digitized by Google

superbia, quæ est mater inobedientiæ: Nam *Tob. cap. 4.* deterrens filium suum à superbia, dat hanc rationem: *In ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Causa extrinseca peccati primorum parentum fuit diabolus, qui illos induxit ad divinæ legis infractionem, dicens Evæ: *In quocumque die comederitis ex eo.... eritis sicut dii....* Causa vero interna fuit eorum voluntas, cum nec ignorantia, nec concupiscentia laboraverint in illo statu.

Q. 10. Quale fuerit peccatum primorum parentum, et quænam hujus pœnæ? *R.* Fuit peccatum mortale, nimirum superbia, qua independentiam à Deo sibi tribuere concupierunt. Peccati primorum parentum pœnæ quoad corpus fuerunt hæ duæ: 1.ª fuit ejectio è statu beatitudinis in hujus vitæ miserias, famem nempe, sitim, dolores, &c. 2.ª vero fuit mors corporalis. Utraque describitur in *Genes. 3.*

Q. 11. Quænam fuerint pœnæ quod animam? *R.* Hæ tres: 1.ª fuit spoliatio omnium donorum supernaturalium.... 2.ª vulnus facultatum naturalium: nam, licet naturalia in Adamo peccante extincta non fuerint, valde tamen fauciata fuerunt per quatuor vulnera, quæ Adamus accepit in potentiis animæ, scilicet, *ignorantiam* in intellectu, *malitiam* in voluntate, *infirmitatem* in irascibili, et *concupiscentiam* in appetitu con-

Digitized by Google

cupiscibili.... 3.ª fuit mortis æternæ debitum morale, quod Adamus per suum peccatum contraxit, et in hanc miseram sortem omnes posteros traxit, à qua non possunt exsurgere, nisi per merita Christi mediatoris.

TRACTATUS V.

De Deo Incarnato.

Nota: Dei incarnati nomine intelligitur compositum resultans ex unione naturæ divinæ cum humana in una Verbi divini persona. Duplex erit hujus tractatus dissertatio: 1.ª erit de possibilitate, convenientia, necessitate, existentia, causis, et quidditate Incarnationis: 2.ª vero, de Christo, qui est terminus Incarnationis.

DISSERTATIO I.

De possibilitate, convenientia, necessitate, &c. Incarnationis.

CAPUT I.

De Possibilitate Incarnationis, et ejusdem convenientia.

Q. 1. Utrum Incarnatio sit possibilis? *R. Affirm.* 1.° Quia per acta est; *atqui* ab actu

Digitized by Google

ad posse valet consequentia: *ergo.* 2.° Quia nullam involvit repugnantiam.

Obj. 1.° Repugnat, Verbum mutari; *atqui* non potest uniri naturæ humanæ in unitatem personæ, quin mutetur: ergo. *Prob. min.* Verbum non potest uniri naturæ humanæ, quin recipiat novam formam, videlicet, naturam; *sed* qui recipit novam formam, mutatur: ergo. *Dist. maj.* Quin recipiat novam formam, tanquam terminus, qui illam formam ultimo compleat, ac perficiat, *conc.* tanquam subjectum, quod ab illa forma perficiatur, *nego maj.* et sic ad minorem. Itaque Verbum per Incarnationem non recepit in se humanitatem, et consequenter non est subjectum ab illa perfectibile, sed est terminus illius intrinsecus; quatenus se ipsum humanitati communicando, illam perficit, ac ultimo complet; subindeque non mutatur.

Inst. Verbum per Incarnationem de non homine fit homo intrinsece: *ergo* mutatur. *Dist. ant.* De non homine fit homo intrinsece per assumptionem humanitatis, solamque illius terminationem, *conc.* per sui conversionem in humanitatem, *nego ant.* proindeque in Incarnatione nulla facta est mutatio in Verbo divino.

Obj. 2.° Inter unibilia debet esse quædam proportio; *atqui* inter Verbum infinitum, et naturam humanam finitam nulla est pro-

Digitized by Google

portio: ergo. *Dist. maj.* Debet esse proportio habitudinis; qualis est inter terminans, et terminatum; *conc.* proportio entitatis ad entitatem, *nego maj.* Licet ergo inter Verbum; et naturam humanam nulla sit proportio entitatis, est tamen proportio habitudinis, quatenus natura humana est terminabilis; et Verbum infinite terminativum.

Obj. 3.° Natura humana non potest spoliari sua propria subsistentia, nam subsistentia est ipsamet natura: *ergo*, &c. *Nego ant.* Ad probationem, *dist.* subsistentia est ipsamet natura præsuppositive; *conc.* formaliter, *nego.* Itaque subsistentia præsupponit naturam, sed secundum se et formaliter nihil aliud est, quam negatio communicabilitatis, seu unionis substantialis cum alio perfectiore, quæ negatio tollitur, cum natura humana personam Verbi in se recipit, quia tunc desinit esse sui juris.

Inst. Persona definitur: *Naturæ rationalis individua substantia*; Atqui impossibile est dari aliquam naturam actu existentem, quin sit substantia individua: *ergo* natura humana non potest spoliari sua propria subsistentia. *Dist. min.* Quin sit substantia individua per propriam subsistentiam, *vel* alienam perfectiorem, *conc.* semper per propriam subsistentiam, *nego min.* Natura ergo humana Verbo divino substantialiter unita, non subsistit subsistentia propria, sed Ver-

Digitized by Google

bi, à quo substantialiter perficitur, et completur, in quo sistit, à quo terminatur, et cujus juris tota efficitur.

Q. 2. Utrum possibilitas Incarnationis possit ratione demonstrari? *R.* Nulla ratione potest demonstrari *positive*. 1.° Quia *Colos.* 1. dicitur: » Mysterium, quod absconditum fuit à sæculis, et generationibus; nunc autem manifestatum est in Sanctis ejus, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ Sacramenti hujus in gentibus, quod est Christus.» 2.° Demonstrari non potest *à priori*, quia non habet causam naturalem; nec à *posteriori*, quia nullus est effectus in rerum natura, qui necessariam habeat cum hoc mysterio connexionem: *ergo.*

Obj. 1.° Intellectus perfectus, v. g. angelicus evidenter *positive* cognoscit, Deum posse efficere, quidquid non implicat contradictionem; *atqui* mysterium Incarnationis non implicat contradictionem: ergo. *Dist. maj.* Indeterminate et in genere, *conc.* determinate et in particulari, *nego maj.* Aliàs Dei omnipotentiam, in qua sunt omnia possibilia, comprehenderet, quod est impossibile.

Obj. 2.° Angelus naturaliter cognoscere potest, naturam humanam posse spoliari propria subsistentia: *ergo* naturaliter cognoscere potest, naturam humanam posse subsistere subsistentia Verbi. *R.* 1. *nego ant.* 1.°

Digitized by Google

Quia nullum est in naturalibus exemplum, quo constet naturam humanam spoliari posse subsistentia sibi propria: 2.° Quia natura humana ita determinata est ad propriam subsistentiam, ut absque ea naturaliter non possit existere.

R. 2. *nego conseq.* Quamquam enim Angelus posset naturaliter cognoscere, naturam humanam posse spoliari propria subsistentia; non sequitur tamen, quod possit naturaliter cognoscere, eam subsistere subsistentia Verbi; tum quia infinita est inter naturam humanam, et Verbi subsistentiam disproportio; tum quia posset judicare, Deum conservare illam naturam individualem absque omni subsistentia, sicut de facto conservat species Eucharisticas absque omni subjecto.

Q. 3. Utrum Incarnatio fuerit conveniens Deo? *R. Affirm.* Nam per Incarnationem præcipua Dei attributa, nimirum omnipotentia, sapientia, bonitas, misericordia et justitia hominibus manifestantur.

Obj. 1.° Summam Dei majestatem decet humiliari; *atqui* per Incarnationem Deus sese humiliasset: ergo. *Dist. maj.* Decet Deum humiliari secundum se, *conc.* secundum carnem assumptam, *nego maj.* Cum itaque divinitas sit omnino invariabilis, secundum se nec exaltationis, nec humiliationis est capax; sed ratione humanitatis sibi

Digitized by Google

unitæ potest humiliari ad manifestationem suæ magnitudinis.

Obj. 2.° Inconveniens est, ut majus bonum ordinetur ad minus; *atqui* in Incarnatione majus bonum ordinaretur ad minus, nempe Incarnatio Dei ad reparationem generis humani: *ergo*, &c. *Dist. maj.* Non est conveniens, ut majus bonum ordinetur ad minus, tanquam medium ad finem ultimum, *conc.* tanquam causa ad effectum, *nego maj.* Incarnatio itaque ordinatur 1.° ad reparationem generis humani tanquam causa ad effectum, quem producit: 2.° ad gloriam Dei, tanquam ad finem ultimum: porro gloria Dei excellentior est vita Christi.

Obj. 3.° Innocentem tradere ad supplicium est inconveniens, cum maxima sit injustitia; *atqui* in Incarnatione, &c. *Dist. maj.* Si illud supplicium habeat rationem punitionis, *conc.* satisfactionis tantum et reparationis, *nego maj.* Disparitas est, quod in punitione attendatur peccantis iniquitas; in satisfactione vero pro alio, spectatur satisfacientis charitas: porro in satisfaciendo unus potest ferre pœnam pro alio.

Q. 4. Utrum Incarnatio fuerit conveniens homini redimendo; etiamque toti universo? *R.* Fuit conveniens homini, *sive spectetur in individuo*, quia per Incarnationem factum est, ut hic homo esset Deus, ac proinde caput hominum et Angelorum, supre-

Digitized by Google

mo latriæ cultu colendus. *Sive spectetur in specie*, quia tota natura humana per conjunctionem Verbi cum uno ex ejus individuis, fuit exaltata ad supremum honorem cognationis et consanguinitatis cum Deo. Incarnatio etiam toti universo fuit conveniens: Quia in aliqua sui parte ad fastigium divinitatis evectum est.

Q. 5. Utrum mysterium Incarnationis fuerit convenienter impletum in plenitudine temporis? *R. Affirm.* Nam conveniens fuit, ut Christus in medio annorum veniret, ut sæcula anteriora per fidem suæ Incarnationis futuræ illuminaret; et sequentia per doctrinam evangelicam illustraret, et per Sacramenta à se instituta sanctificaret.

CAPUT II.

De Necessitate Incarnationis.

Q. 1. Utrum Incarnatio fuerit absolute necessaria? *R.* Non fuit: nam est opus ad extra, circa quod Deus est omnino liber. Nec fuit absolute necessaria ex hypothesi peccati hominis; neque etiam ex hypothesi quod Deus hominem lapsum voluerit reparare: Non fuit absolute necessaria Incarnatio 1.° modo; quia Deus hominem perditum potuit relinquere in peccato, et statu damnationis, ut reliquit Angelos apostatas: nec 2.°

Digitized by Google

Nam Deus potuit hominem multis aliis modis liberare, nempe vel peccatum gratis condonando, vel imperfectam hominis satisfactionem acceptando: unde D. Aug. (*lib. de agone christiano, cap. 12.*) merito stultos vocat, qui contra sentiunt.

Q. 2. Utrum Incarnatio absolute necessaria fuerit ex hypothesi quod Deus hominem reparare voluerit per condignam atque rigorosam pro peccato satisfactionem? *R. Affirm.* Quia nulla creatura pura, quantalibet gratia ornata, condignam atque rigorosam pro peccato satisfactionem exhibere potest. Nam, ut satisfactio sit condigna et rigorosa, debet esse 1.° *Æquivalens*: 2.° *Debet fieri ex propriis*; et 3.° *Ex aliunde indebitis*; Atqui satisfactio à pura creatura exhibita

1.° *Non est equivalens gravitati injuriæ*: quia offensa Dei est infinita, saltem extrinsece et objective; satisfactio vero puræ creaturæ est valde finita. Ratio est, quia injuria crescit pro vilitate personæ lædentis et dignitate personæ læsæ; contra vero satisfactio iisdem capitibus decrescit: *ergo* offensa personæ infinitæ illata, est infinita, et satisfactio à pura creatura exhibita, est finita, et quasi nulla præ Deo offenso: 2.° *Non est ex propriis*: quia pura creatura satisfacere non potest, nisi ex eis, quæ sunt sub Dei dominio. 3.° *Non est ex aliunde inde-*

Digitized by Google

bitis: quia, quod Dei proprium est, illi quoque est debitum.

Obj. 1.° Homo purus per actum perfectæ contritionis reddit Deo totum, quod ab ipso per peccatum abstulerat, nempe rationem ultimi finis: *ergo* condigne satisfacit Deo. *Nego conseq.* Licet enim redditio rei ablatæ sufficiat ad restitutionem; satis tamen non est ad condignam satisfactionem pro injuria Deo per peccatum illata, quæ cum sit infinita, non potest condigne reparari, nisi per satisfactionem infinitam, cujus homo purus, quantalibet gratia sit ornatus, non est capax.

Inst. 1.° Tantus est valor actus perfectæ charitatis, quanta est gravitas injuriæ Deo per peccatum illatæ: ergo. *Nego ant.* Quia valor actus charitatis moraliter æstimatur ex dignitate personæ satisfacientis, ac proinde est finitus; è contra gravitas offensæ Dei moraliter æstimatur ex dignitate personæ læsæ, à qua consequenter infinitam quamdam gravitatem contrahit.

Inst. 2.° Homo purus per actum charitatis perfectæ posset mereri vitam æternam de condigno: *ergo* et condigne satisfacere Deo. *Nego conseq.* Disparitas est, quod meritum, cum respiciat mercedem, nullam requirat personarum æqualitatem; bene autem satisfactio, quæ, cum à persona offensa specificetur, non potest condigne exhiberi, nisi à persona ejusdem ordinis et dignitatis.

Digitized by Google

Obj. 2.° Peccatum veniale est quid finitum: *ergo* pro eo potest homo purus condigne satisfacere. *Dist. ant.* Est quid finitum entitative, *conc.* objective et terminative *nego ant.* Infert enim Deo infinito injuriam, quæ condigne compensari per opus finitum non potest.

Inst. Ergo, sublata Incarnatione, homo justus, venialiter peccans, æternum periret: falsum conseq. ergo. *Neg. illatum.* Quia Deus pro peccato veniali non exigit satisfactionem rigorosam, et ideo in quocumque statu homo justus potest mereri gratiam, cui annexa est peccati remissio.

CAPUT III.

De Existentia Incarnationis.

Q. 1. Quinam negant Messiam jam advenisse? *R.* Gentiles, quibus hoc mysterium est *stultitia;* et Judæi, quibus est *scandalum*, ait Apost. 1. *ad Cor.* 1. Messiam jam advenisse demonstratur adversus illos fidei nostræ motivis credibilitatis, quæ in Tractatu de fide exponemus, ad quem lectorem remittimus. Sed adversus Judæos probatur innumeris propemodum oraculis Prophetarum, quæ in Jesu Nazareno fuerunt impleta, ex quibus duo tantum refero, quæ sunt celeberrima.

Digitized by Google

I. *Oraculum* habetur *Genes.* 49. ubi Jacob prædicens filiis suis, quæ eorum posteris eventura erant, sic Judam alloquitur: » Juda, te laudabunt fratres tui... adorabunt te filii patris tui... non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, ipse erit expectatio gentium.»

Hæc prophetia manifeste intelligitur de Messia, qui solus per excellentiam dicitur *mittendus*, Exodi *4. Mitte, quem missurus es*, qui solus potest dici *expectatio gentium*, ex *Genes. 28.* ubi dicitur: *Benedicentur in te et in semine tuo cunctæ tribus terræ*: de quo dicitur, quod sit venturus, ubi sceptrum desierit esse in Juda; *atqui* jam diu sceptrum, seu principatus, seu regimen politicum desiit esse in Juda, nimirum tempore Herodis, qui erat alienigena, Idumæus scilicet, seu ex posteris Esau, ut docet Joseph. (*lib. 14. Antiq. Judaicarum cap. 2.*) Et, quo regnante, natus est Jesus Nazarenus, in quo impleta sunt omnia, quæ de Messia prædicta sunt à Prophetis: *ergo*, &c.

Obj. 1.° Particula *donec* in Jacob vaticinio non significat cessationem regiæ dignitatis in Juda; sed ejusdem continuationem, ita ut sensus sit: *Postquam venerit Messias, qui sceptrum tribui Judæ restituet, nunquam deinceps auferetur*: ergo nondum venit Messias. *Nego ant.* Absque ullo enim, vel levis-

Digitized by Google

simo fundamento particula *donec* vertitur in particulam *postquam*, absque ullo scripturarum exemplo, in quibus particula *donec* cessationem rei natu. aliter significat: sic *Genes.* 26. de Isaac dicitur: *Ibat proficiens, atque succrescens, donec magnus effectus est*: tunc enim desiit succrescere.

Obj. 2.° Vaticinium Jacob non fuit impletum in Jesu Nazareno; nam 1.° Herodes non erat alienigena, cum dicat Nicolaus Damascenus, *Herodem genus duxisse à primoribus Judæorum, qui in Judæam venerant è Babylonia*... 2.° Sceptrum desiit in Juda sexcentis circiter annis ante Christi nativitatem, quando scilicet Nabuchodonosor, vastata Judæa, destructa Jerusalem, et incenso templo, Judæos cum eorum Rege Sedecia captivos transtulit Babyloniam.... 3.° Post captivitatem Babylonicam Machabæi, qui erant ex tribu Levi, tribui Juda præfuerunt per 400 circiter annos ante adventum Jesu Nazareni.

R. nego ant.... Ad 1. *nego ant.* Nam Herodes fuit Idumæus: *ergo* alienigena: nec audiendus est Nicolaus Damascenus qui hoc scripsit ex adulatione, ut inde gratiam Herodis sibi conciliaret.

Ad 2. *nego ant.* Nam durante captivitate Babylonica, Rex Judæorum erat *Joachim* de tribu Juda, quem in ipsa captivitate ad solium regni exaltavit *Evilmerodach* Rex,

Digitized by Google

successor Nabuchodonosoris, ex 4. *Reg. cap. ult. v.* 27. Post mortem Regis Joachim, *Zorobabel* ex tribu Juda et regio sanguine oriundus, recepit legislativam potestatem, et ducis nomen; non ergo penitus ablatum est sceptrum de Juda, neque dux de femore ejus in captivitate Babylonica, cujus tamen utriusque potestatis, regiæ, et ducalis, ablatio, erat adventus Messiæ certum indicium, in Jacob vaticinio indicatum.

Ad 3. *dist. ant.* Machabæi præfuerunt tribui Juda, auctoritate ab illa tribu accepta, *conc.* auctoritate propria ab illa tribu independente, *nego ant.* Itaque tempore Machabæorum suprema potestas semper mansit penes tribum Juda, quæ summos Sacerdotes de tribu Levi, et Concilium *Sanhedrin* eligebat, ut suo nomine, et secundum suas leges rempublicam administarent. Sic hodie apud Polonos viget regia potestas, licet sceptrum gerant principes externi, qui ab illa gente in Reges assumuntur.

II. *Oraculum* dicitur ex *cap.* 9. Danielis, ubi Angelus Gabriel Danielem deprecantem pro libertate populi sui consolatur his verbis: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum.* Cer-

Digitized by Google

tum et evidens est, ista dici de vero Messia; *atqui* hebdomades 70 intra quas Archangelus Gabriel annuntiat venturum esse Messiam, jam diu elapsæ sunt: nam hebdomada in sacra Scriptura sumitur tantum duobus modis, 1.° pro septem diebus; 2.° pro septem annis; *atqui* sive septuaginta hebdomades sumantur pro hebdomadibus dierum; sive pro hebdomadibus annorum, (ut de facto sumi debent) jamdiu præterierunt: nam 70 hebdomades dierum conficiunt dies 490 et 70 hebdomades annorum conficiunt annos 490. Hoc porro spatium à multis jam sæculis elapsum est: *ergo* Messias jamdiu venit.

Obj. Non potest assignari tempus quo 70 hebdomades sint enumerandæ: *ergo* ex prophetia Danielis non potest colligi saltem certo, Messiam promissum jam advenisse. Dato antecedente (quod tamen falsum est, quia juxta fere omnes Chronologos hodiernos, 70 hebdomades ducunt initium ab anno 20. Artaxerxis Longimani, qui eo anno Nehemiæ fecit facultatem iterum ædificandi Jerusalem, 2. *Esdræ* 2.) *nego conseq.* Nam etsi manifestum non esset, à quo præcise tempore enumerandæ forent 70 hebdomades, tamen adhuc esset evidens elapsam esse ultimam, in cujus medio Messias prænutiatur morti tradendus; nam ultima hebdomas desinire debuit ante cessationem sacrificii ve-

Digitized by Google

teris; *atqui* sacrificium illud jamdiu desiit; in uno enim Jerosolymorum templo juxta legis Mosaicæ præscriptum, sacrificia offerri poterant: *ergo* cum à mille septingentis annis, et amplius, Jerosolymorum templum dirutum fuerit, sacrificia apud Judæos omnino desierunt. Consule tom. 1. dissert. 4. ubi duo allata vaticinia, et plura alia accuratius exponuntur.

Q. 2. Utrum Jesus Nazarenus sit Messias qui venit? *R. Affirm.* Quia omnes prophetiæ de Messia editæ, in Jesu Nazareno fuerunt impletæ, ut citato loco, tom. 1. demonstravimus.

CAPUT IV.

De Causis Incarnationis.

Q. 1. Quænam sit causa Incarnationis? *R.* Causa efficiens est tota Trinitas: nam est opus ad extra; *sed* opera ad extra sunt opera totius Trinitatis, cum sint opera omnipotentiæ, tribus personis communia: *ergo*, &c. Sed causa finalis est liberatio hominis à peccato, ejusque cum Deo reconciliatio, ut fides docet in *Joan. 3.* his verbis: *Misit Deus Filium suum in mundum, ut salvetur mundus per ipsum.* Matth. *18. Venit Filius hominis salvare, quod perierat.* Conc. Nicænum 1. sic definit: *Qui propter nos ho-*

Digitized by Google

minès, et propter nostram salutem, descendit de cœlis, &c. Hinc excluditur error Pelagianorum, qui docuerunt, Christum datum esse hominibus, ut exemplum, Doctorem, et Legislatorem; non verò ut Redemptorem proprie.

Q. 2. Utrum Christus venerit, tum propter peccatum originale, tum propter peccata actualia? *R. Affirm.* Idque est de fide, juxta illud *1. Joan. 1.* ubi legitur: *Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato.* Præcipue tamen venit propter peccatum originale: quia totum genus humanum infecit.

Q. 3. Utrum, si homo non peccasset, Verbum vi præsentis decreti fuisset incarnatum, saltem in carne impassibili, ut Scotistæ fingunt? *R. Negat.* Nam 1. nullibi, aut Scriptura, aut traditio asserunt, quod Verbum fuisset incarnatum, si homo non peccasset; imo quoties Scriptura de motivo Incarnationis loquitur, non aliud assignat, quam peccatum delendum; dicitur enim in *Joan. 3. Non misit Deus Filium suum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum....* 2. Patres expresse docent, Christum, homine non peccante, non fuisse venturum: *Si non haberet caro salvari*, inquit D. Irenæus (lib. 5. adversus hæreses, cap. 4.) *Nequaquam Verbum Dei caro factum esset.* Origenes (Hom. 24. in Numeros): *Si non fuisset peccatum... mansisset,*

Digitized by Google

Christus, *hoc, quod in principio erat, Deus Verbum.* Et D. Aug. (Serm. 8. de verbis Apostoli): *Si homo non periisset, Filius hominis non venisset.*

Obj. 1.° Deus voluit Messiæ futuritionem antequam decerneret hominis futuritionem; juxta illud, *Prov. 8. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio*: ergo. *Nego ant.* Ea enim Prov. verba intelliguntur de Christo, non ut est homo, sed ut est Verbum Patris: hoc constat, quia ibidem de seipso dicit: *Cum eo Deo eram cuncta componens*; quod de solo Verbo æterno dici potest.

Obj. 2.° Christus, *Coloss. 1.* dicitur *Primogenitus omnis creaturæ*: ergo fuit futurus ante omnem creaturam. *Dist. ant.* Ut Deus, *conc.* nam addit: *Omnia per ipsum, et in ipso creata sunt*; ut homo, *subdist.* prioritate honoris et dignitatis, *conc.* prioritate temporis et intentionis, *nego ant.* cum D. Hieronymo, in hunc locum dicente: »Primogenitus, non quod Deus illum ante omnem creaturam producere constituerit, sed quod illi creaturam omnem subjecerit.«

Obj. 3.° Christus est caput Adami innocentis, imo et Angelorum, *Coloss. 2. Est caput omnis principatus et potestatis*: ergo futurus fuit, Adamo non peccante. *Dist. ant.* Est caput Adami innocentis et Angelorum, dignitate et excellentia, *conc.* influxu,

Digitized by Google

nego ant. Gratia enim, quæ primis parentibus ante lapsum, et Angelis sanctis concessa est, erat donum Dei creatoris, non Christi redemptoris.

Q. 4. Utrum humanitas Christi meruerit suam cum Verbo divino unionem? *R. Negat.* Quia Christi humanitas nunquam fuit sine unione hypostatica: *ergo* illam non meruit; aliàs effectus esset prior sua causa.

Q. 5. Utrum veteres Patriarchæ meruerint Incarnationem secundum substantiam? *R. Negat.* Nam Incarnatio secundum substantiam sumpta præsupponitur cuilibet merito: de fide enim est, nullum in statu naturæ lapsæ meritum esse, nisi ex meritis Dei incarnati: *ergo*, &c.

Obj. D. Thom. (in 3. *p. q.* 3. *a.* 1.) ait: *Acceleratio Incarnationis potuit cadere sub merito de condigno; Incarnatio autem sub merito de congruo:* ergo. *Nego conseq.* Nam D. Thom. correxit hanc sententiam in sua Summa, dicens: *Gratia non potest cadere sub merito, quia est merendi principium: unde multo minus Incarnatio cadit sub merito, quia est principium gratiæ.*

Q. 6. Utrum veteres Patriarchæ aliquas Incarnationis circumstantias meruerint? *R.* 1.° Nullas meruerunt de condigno; quia nulla ipsis à Deo facta est talis promissio. *R.* 2.° Non meruerunt circumstancias Incarnationis secundum præsens decretum ne-

Digitized by Google

cessarias; quia Incarnatio, ut actu decreta est, ab eis non abstrahit. *R.* 3.° Meruerunt de congruo aliquas circumstantias secundum præsens decretum non necessarias: sic Abraham meruit, ut Christus de sua stirpe nasceretur, ex *Gen.* 22. *Benedicentur in semine tuo*, id est, in Christo, *omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Sic Daniel suis precibus meruit accelerationem adventus Messiæ, ex ipsiusmet *Daniel.* 9.

Q. 7. Utrum B. Virgo meruerit divinam maternitatem? *R.* 1.° Non meruit de condigno; quia Deum inter, et B. Virginem, nullum intercessit pactum de danda illi divina maternitate. *R.* 2.° Meruit de congruo divinam maternitatem: 1. Quia talis est sensus Ecclesiæ, quæ sic congratulatur B. Virgini; *quia, quem meruisti portare, resurrexit*, &c. 2. Quia ita sentiunt Patres; D. Hieron. (Epist. 17. ad Eustochium) ait: *Propono tibi B. Virginem, quæ tantæ extitit puritatis, ut Mater Domini esse mereretur.* Et D. Aug. (lib. de nat. et grat. cap. 36.) inquit: *Concipere meruit, et parere eum, quem constat nullum habuisse peccatum.*

Obj. 1.° Gratiæ singulares, quibus cumulata fuit B. Virgo, ei concessæ sunt intuitu maternitatis divinæ: *ergo* cum illæ gratiæ ei omnino gratis concessæ fuerint, gratuita quoque debuit esse maternitas divina. *Dist. ant.* Intuitu maternitatis decernendæ pro-

Digitized by Google

pter merita, ad quæ disponeretur per illas gratias, *conc.* intuitu maternitatis jam decretæ absolute, *nego ant.* Equidem B. Virgo à primo instanti suæ conceptionis eximiis gratiis et privilegiis fuit præventa, quibus correspondens, non solum fuit condigne disposita, ut esset Mater Dei, sed etiam meruit de congruo divinam illam maternitatem.

Obj. 2.° Omnia merita B. Virginis fundata fuere in hoc numero Christo, ex hac numero matre genito: *ergo* merita B. Virginis non præcesserunt maternitatem, quæ consequenter non cecidit sub meritum. *Dist. ant.* Fundata fuere in Christo, ex hac numero matre genito, *specificative*, id est, qui genitus est ex hac matre, *conc.* ex hac numero matre genito, *reduplicative*, id est, quatenus ex hac matre genitus est, *nego ant.* Nam licet nulla B. Virginis merita fuerint, nisi ex illo, qui est filius hujus matris; tamen non fuerunt ex illo, quatenus fuit filius hujus matris. Quod enim Christus ex hac numero matre natus sit, non fuit circumstantia necessaria ad merendum; prius enim Christus cogitatur nasciturus ex aliqua matre, quam ex hac numero matre.

Digitized by Google

CAPUT V.

De Quidditate Incarnationis.

Agemus 1.° de persona assumente, et natura à Verbo assumpta: 2.° de utriusque unione hypostatica.

QUÆSTIO I.

De Persona assumente, et natura assumpta.

Q. 1. Quænam persona divina assumpserit naturam humanam? *R.* Sola persona Filii: nam *Joan.* 1. de persona Filii dicitur: *Verbum caro factum est.* Quod nullibi de Patre, aut Spiritu sancto dicitur. Unde Christus se minorem Patre dicit, scilicet ratione humanitatis assumptæ. Hinc excluditur error Sabellianorum, qui; negantes realem personarum distinctionem, docebant, Verbum non potuisse incarnari, quin Pater et Spiritus sanctus incarnarentur; unde *Patripassiani* dicti sunt.

Obj. Una persona non potest videri intuitive absque altera: *ergo* nec incarnari. *Nego conseq.* Disparitas est, quod essentia divina, quæ est primarium visionis intuitivæ objectum, identificetur tribus personis, et consequenter non possit sine illis videri intuitive; è contra, tres personæ à se invicem rea-

Digitized by Google

liter distinguuntur, ac proinde terminatio humanitatis, quæ est effectus relativus, potest prodire ab una persona, absque eo quod prodeat ab aliis.

Q. 2. Utrum Verbum assumpserit verum et reale corpus? *R. Affirm.* Nam 1.° Scripturæ verum Corpus Christo tribuunt, Joan. 1. dicitur: *Verbum caro factum est.* Et Lucæ ult. Christus post resurrectionem suum corpus discipulis palpandum obtulit. 2.° Christus est verus homo, nam *Joan. 8.* inquit: *Quæritis me interficere, hominem, qui veritatem locutus sum vobis.* Ex concil. Nicæno 1. *Incarnatus est, et homo factus est.* 3.° Ecclesia damnavit Simonem Magum, Menandrum, Saturninum, Marcionem, &c. quod contenderent, Christi Corpus non fuisse verum, sed apparens tantum, et phantasticum.

Obj. 1.° Christus *Philipp.* 2. dicitur *in similitudinem hominum factus*: ergo non habuit veram carnem, sed apparentem, et phantasticam. *Dist. ant.* In similitudinem hominum quoad statum peccati, in quo sunt homines, *conc.* scilicet, ut ait idem Apostolus, *ad Rom. 8. Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati.* Quoad substantiam, *nego ant.* Est enim verus homo, unde additur: *Factus est obediens usque ad mortem*; homo vero, nisi verum corpus habeat, non moritur.

Obj. 2.° Apost. 2. *ad Cor.* 5. dicit: *Et si*

Digitized by Google

cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus: ergo Christus non habet veram carnem. *Nego conseq.* Alias sequeretur nullum hominem habere veram carnem, cum Apostolus dicat: *Neminem novimus secundum carnem.* Sensus ergo est, licet olim pluris fecerimus Christum habere pro consanguineo, nunc mortui veteris vitæ affectibus, augustius de eo sentimus, nec amplius eum novimus *secundum carnem*, sed *secundum spiritum*, ut auctorem gratiæ et salutis, qualem eum toto orbe prædicamus.

Q. 3. Utrum Corpus Christi fuerit terrenum, an vero cœleste? *R.* Fuit terrenum, ut Ecclesia definivit contra Valentinum, Appollinarem, et Appellem: ratio est, quia natus est de Maria Virgine, *Matth. 1. v. 16.* his verbis: *De qua natus est Jesus.*

Obj. Apostolus 1. *ad Cor. 15.* Christum Adamo opponens, ait: *Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de cœlo, cœlestis*: ergo Christus habuit Corpus cœleste. *Nego conseq.* Christus non dicitur *cœlestis*, quod habuerit Corpus cœleste; sed quod substiterit subsistentia Verbi divini.

Q. 4. Utrum Verbum immediate assumpserit dentes, ungues, capillos, tres humores, et maxime sanguinem? *R. Affirm.* Nam immediate assumpsit, quidquid ad naturæ humanæ perfectionem, et integritatem per-

Digitized by Google

tinet; *atqui* dentes, ungues, et capilli, ad naturæ humanæ perfectionem, et ornatum pertinent; tres vero humores, et maxime sanguis, ad ejusdem integritatem spectant: *ergo.*

Q. 5. Utrum Verbum assumpserit veram animam humanam? *R. Affirm.* Nam 1.° Christus *Joan.* 10. ait: *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam* in resurrectione.... 2.° Damnati sunt Ariani, quod vellent, Verbum carnem assumpsisse absque anima, cujus vices obibat ipsummet Verbum..., 3.° Christus est verus homo: *ergo* animam rationalem habuit.

Q. 6. Utrum anima Christi fuerit mente prædita? *R. Affirm.* Estque de fide contra Apollinarem: unde S. Fulgentius (*de fide. ad Petrum cap.* 24.) dicit: *Firmissime tene, et nullatenus dubites, Christum Filium Dei habere veram nostri generis carnem, et animam rationalem.* Ratio est, quia in Christo fuerunt passiones humanæ; *atqui* illæ passiones nihil aliud sunt, quam affectiones animæ rationalis, cum ex perceptione boni præsentis, vel mali imminentis oriantur: *ergo.*

Obj. Mens humana est imago Verbi: *ergo* hæc, Verbo præsente, evanescere debet. *Dist. ant.* Est Imago Verbi à Verbo perficienda, *conc.* supplens vicem Verbi, *nego ant.* Equidem imago rei supplens illius vi-

Digitized by Google

cem, evanescit re præsente; sed non evanescit, si à re, cujus est imago, sit perficienda: sic imago hominis in speculo, quia perficitur ab homine, non evanescit eo præsente, imo resultat ex eius præsentia.

Q. 7. Utrum Verbum assumpserit voluntatem humanam? *R.* Assumpsit: unde in Christo sunt duæ voluntates, duæque operationes, divina nimirum, et humana. Nam 1.° Christus ipse suam humanam voluntatem à Patris, et consequenter Verbi voluntate distinxit, dicens (*Lucæ* 22.): *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Supra quæ verba S. Athanas. (*lib. de Incarnatione*) dicit: *Cum ait,* non mea voluntas, sed tua fiat.... *duas voluntates ibi ostendit, alteram humanam, quæ est carnis; alteram divinam, quæ Dei est...* 2.° Monothelitæ IV. Synodo tanquam hæretici damnati sunt, quod unam (Verbi nimirum) in Christo voluntatem fuisse contenderent; definitumque est: *Uti duas naturas accepimus, ita et duas naturales voluntates, et naturales ipsius operationes agnoscimus.*

Obj. 1.° D. Dionysius (*lib. de divinis nominibus*) docet: *Unam esse in Christo Dei virilem operationem*: ergo. *R.* 1.° *Nego ant.* Nam in textu legitimo legitur, *novam operationem*, pro quo Monothelitæ substituerunt hæc verba, *Unam operationem*, ut ipsis exprobat Martinus Papa 1. in concil. La-

Digitized by Google

teranensi, consultatione tertia.

R. 2.° *Dist. conseq.* Est una operatio in Christo mixta, *conc.* simplex, *nego conseq.* Itaque triplex fuit genus actionum Christi, scilicet, pure divinæ, pure humanæ, et mixtæ... *Pure divinæ* sunt eæ, quæ à Christo emanarunt, ut Deus est, id est, absque ullo ad humanam naturam respectu, ut sunt rerum conservatio, sanatio infirmi à Christo absente... *Pure humanæ* sunt eæ, quæ naturæ humanæ sunt propriæ, ut edere, flere, velle, intelligere, &c.... *Mixtæ* sunt eæ, quæ ab utraque natura prodierunt, v. g. dum Christus suo contactu curabat ægrotos: in ea quippe curatione agebat utraque natura, divina nempe per suam omnipotentiam, et humana per suum contactum. Hæc non est simplex operatio, divina nempe et humana, quæ, licet non sint divisæ, sunt tamen realiter à se invicem distinctæ. Porro hæc mixta operatio à Græcis vocatur *Theandrica*, et à Latinis *Dei virilis*, id est, Dei hominis operatio.

Obj. 2.° Actiones sunt suppositorum; *atqui* in Christo unicum est suppositum: *ergo*, &c. *Dist. maj.* Sunt suppositorum denominative, *conc.* elicitive, *nego maj.* Itaque sola natura est principium elicitivum actionum; unde earum unitas, vel multiplicitas, desumitur ab unitate, vel multiplicitate naturæ; non vero ab unitate, vel multiplicitate suppositi.

Digitized by Google

Q. 8. Utrum Verbum assumpserit omnes corporis humani defectus communes? v. g. *famem, sitim, corruptibilitatem, mortem,* &c. *R. Affirm.* Nam *Esuriit,* ex Matth. 4. *Fatigatus ex itinere, sedit,* ex Joan. 4. *Flevit super Jerusalem,* ex Lucæ 19. *Crucifixus est ex infirmitate,* ex 2. Cor. 13. Unde concil. Ephes. anathematismo 12. definit: *Si quis non confitetur, Dei Verbum in carne passum et crucifixum, mortemque gustasse, anathema sit.* Hinc damnatur error Juliani Halicarnensis qui asserebat, carnem Christi fuisse incorruptibilem, et impassibilem.

Obj. 1.° *Psal.* 25. David prædixit, carnem Christi fore incorruptibilem, ait enim: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem:* ergo. *Dist. ant.* Post ejus mortem, *conc.* ante, *nego ant.* David ergo loquitur de corruptione putredinis, quam non sensit caro Christi; non vero de corruptione alterationis, et mortis. *Inst.* Illi defectus, et dolores sunt pœnæ peccati; *atqui* nullum fuit in Christo peccatum: *ergo*, &c. *Dist. ant.* Sunt pœnæ peccati proprii, vel alieni, *conc.* proprii semper, *nego ant.* In Christo ergo fuerunt pœnæ peccati alieni, nempe hominis, pro quo se vadem ac sponsorem dedit.

Obj. 2.° Visio beatifica excludit omnem dolorem sensibilem; *atqui*, &c. *Dist. maj.* Si non impediatur, ne animæ felicitas in corpus, et inferiores potentias resiliat, *conc.* si

Digitized by Google

impediatur, *nego maj.* Hoc autem Deus impedivit in Christo.

Q. 9. Utrum Verbum assumpserit defectus corporis humani particulares? v. gr. *morbos, deformitatem*, &c. *R. Negat.* Nam illi defectus proveniunt ex triplici veluti radice: 1. Ex culpa, puta, intemperantia: 2. Ex aeris intemperie: 3. Ex defectu virtutis formatricis; *atqui* ex nulla harum radice evenire potuerunt in Christo: 1.° *Non ex culpa*, nam fuit impeccabilis: 2.° *Non ex aeris intemperie*, nam optimi fuit temperamenti, unde facillime potuit inclementiæ aeris resistere: 3.° *Non ex defectu virtutis formatricis*, nam corpus ejus formatum est de Spiritu sancto, cujus virtus deficere non potest: *ergo.*

Obj. Isaiæ 53. de Christo dicitur: *Non est species ei, neque decor*: ergo. *R.* Isaias loquitur de Christo pendente in patibulo; non autem ante passionem, ut interpretatur D. Hieron. in hunc locum.

Q. 10. Utrum peccatum fuerit in Christo? *R. Negat.* juxta illud ad *Hebr. 4.*: *Habemus Pontificem tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* Et illud, *1. Petri 2. Christus peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.*

Obj. Christus (*Psal. 21.*) ait: *Longe à salute mea verba delictorum meorum.* Et Apost. (*2. ad Cor. 5. v. 21.*) de Christo

digit: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*: ergo. *R. Ad* 1. Quod Christus peccata nostra vocat sua, quia debitum satisfaciendi pro illis in se suscepit.... *Ad* 2. Peccatum ibi sumitur pro hostia, seu victima pro peccato, quo sensu Oseas (*cap. 4. de sacerdotibus*) ait: *Peccata populi mei*, id est, hostias pro peccatis oblatas, *comedent*.

Q. 11. Utrum humanitas Christi, seu Christus ut homo, fuerit impeccabilis? *R. Affirm.* Nam, *Lucæ* 1. dicitur: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*.. 2.° id expresse asserit D. Aug. (lib. 2. de peccat. meritis, *cap.* 11.) inquiens: *In cujus non tantum divinitate, sed nec in anima, nec in carne ullum potuit esse peccatum*.... 3.° Potentia peccandi tribui posset Verbo tanquam principio *quod*: nempe denominationes tribuuntur supposito tanquam principio *quod*, sic Verbo propter unionem cum natura humana, mors, fames, &c. tribuuntur; *atqui* id impium est: *ergo*, &c.

Obj. Christum potuisse mori non repugnat: *ergo* nec repugnat, eum potuisse peccare; non enim Deus minus est vivens per essentiam, quam sanctus per essentiam. *Nego conseq.* Disparitas est, quod mors sit malum pœnæ, cujus Deus auctor esse potest: quare nil impedit, quominus per idiomatum communicationem Deus in natura creata

Digitized by Google

subsistens dicatur mortuus; è contra peccatum est malum culpæ, cujus Deus, nec directe, nec indirecte auctor esse potest: ac proinde peccatum magis repugnat sanctitati per essentiam, quam mors repugnet vitæ per essentiam, in aliena natura subsistenti.

Q. 12. Unde repeti debeat impotentia peccandi in Christo? *R.* Repetenda est præcise ex hypostatica naturæ humanæ cum Verbo unione. Nam 1.° est communis contra Durandum, Gabrielem, et Scotum, qui eam repetunt ex visione beatifica, gratia justificante, et singulari Dei protectione, quæ si à Christo separata fuissent, *inquiunt*, peccare potuisset.... 2.° Quia est sententia Patrum: S. Athanas. (*serm. 2. contra Apollinarem*) de Christo dicit, quod sit *sanctus natura sua, et immutabilis ad malum*; atqui natura Christi consistit in unione hypostatica humanitatis cum Verbo: *ergo*. D. Ambros. (*lib. de Incarnat. cap. 7.*) dicit: *Anima Christi est incapax peccati, quia per unionem facta est impeccabilis*... 3.° Quia si humanitas Verbo unita posset peccare, ipsum Verbum posset peccare, non solum denominative, sed etiam formaliter: nam quando plures naturæ in idem suppositum conveniunt, tenetur superior, saltem si commode possit, regere inferiorem, et impedire, ne peccet; alioqui peccatum ipsi imputatur; *atqui* natura divina et humana in idem Christi

Digitized by Google

suppositum conveniunt: *ergo*, &c.

Obj. 1.° In Deum nulla cadit obligatio: *ergo* non tenetur gubernare naturam humanam à se assumptam. *Dist. ant.* Nulla cadit obligatio ex aliqua lege superioris, *conc.* ex rectitudine divinæ voluntatis, *nego ant.* Sic Deus tenetur non mentiri, quia tenetur ad nihil faciendum suæ sapientiæ, et sanctitati repugnans, ad idque ex suis intrinsecis determinatur, ac necessitatur.

Obj. 2.° Per actiones naturæ assumptæ honestas verbum secundum se non meruit: *ergo* à pari non peccaret per ejusdem actiones inhonestas. *Nego cons.* Disparitas est, quod Verbum secundum se actiones honestas naturæ assumptæ non obtulit alteri à se tanquam superiori, à quo possit præmium accipere, quod antecedenter non sit suum, quod tamen essentialiter requiritur ad rationem meriti; verum permittendo actiones inhonestas fieri à natura sibi hypostatice unita, voluntate divina consentiret in actiones essentiali suæ bonitati, ac sanctitati repugnantes, easque produceret ut suas, adeoque peccaret secundum se, quod omnino repugnat.

Q. 13. Utrum fuerit in Christo fomes peccati? *R.* Non fuit: quia fomes peccati oritur à peccato originali, quod Christus nec contraxit, nec debitum habuit contrahendi, cum non descenderit ab Adamo via ordi-

Digitized by Google

naria. Hinc in v. Synodo anathematizantur, qui cum Theodoro Mopsuesteno dicebant, Christum fuisse motibus concupiscentiæ obnoxium.

Obj. Christus, *Hebr.* 4. dicitur *tentatus per omnia pro similitudine absque peccato:* ergo tentatus fuit à fomite peccati. *Dist. ant.* Tentatus fuit tentatione extrinseca, v. g. à diabolo, *conc.* tentatione intrinseca, quæ est à fomite peccati, *nego ant.* Fuit ergo tentatus experientia malorum, quibus obnoxii sumus; hoc autem absque peccato, et absque iis, quæ sunt, vel effectus, vel causæ peccati.

Q. 14. Utrum in Christo fuerint animæ passiones? *R. Affirm.* Nam in eo fuit tristitia, Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem:* Amor, Joan. 11. *Domine, ecce quem amas, infirmatur:* Timor, Marci 14. *Cœpit pavere, et tædere, &c.* Ratio est, quia passiones sunt connaturales appetitus sensitivi perfectiones, quæ nec dedecent naturam humanam Verbo hypostatice unitam, nec statui beatitudinis repugnant.

Q. 15. Utrum passiones in Christo nostris passionibus fuerint similes? *R.* Fuerunt quoad substantiam, quia fuit homo nobis consubstantialis. Sed non fuerunt similes quoad modum: 1.° Quia passiones in nobis plerumque feruntur ad illicita, quod non fuit in Christo: 2.° Quia frequenter in nobis præveniunt

Digitized by Google

judicium rationis, sed in Christo semper oriebantur secundum dispositionem rationis: 3.° In nobis sæpe trahunt, ac perturbant rationem, quod in Christo non fuit. Ita D. Thom. (*q. 15. art. 4.*)

QUÆSTIO II.

De Unione hypostatica.

Q. 1. Utrum unio hypostatica sit idem cum productione humanitatis Christi? *R. Negat.* Nam productio humanitatis Christi, cum sit opus ad extra, est actio toti Trinitati communis; unio vero, solius est Verbi divini: *ergo* illæ duæ actiones sunt realiter distinctæ.

Obj. 1.° S. Leo Mag. (Epist. 11.) dicit: *Natura nostra non sic assumpta est, ut prius creata, postea assumeretur; sed ut ipsa assumptione crearetur*: ergo. *Nego conseq.* Nam his verbis S. Leo docet concomitantiam, non vero identitatem duplicis illius actionis, ut inde refelleret Nestorium, qui contendebat, humanitatem Christi aliquo tempore realiter fuisse sine unione cum Verbo, ex quo concludebat, B. V. M. esse quidem Christiparam, non vero Deiparam.

Obj. 2.° Maria Virgo est vere Mater Dei; *atqui* non est vere talis, nisi actio humanitatis productiva, sit eadem actio uniti-

Digitized by Google

va humanitatis ejusdem cum verbo: ergo. *Nego min.* Nam, ut B. V. M. verè sit Mater Dei, sufficit ut ejus actio generativa terminata fuerit ad humanitatem eodem instanti assumptam, licet forte in posteriori naturæ.

Q. 2. Utrum unio hypostatica sit entitas realiter distincta à Verbo et humanitate unitis? *R. Non est*: Sive illa entitas sit qualitas supernaturalis absoluta, ut voluit Gabriel: sive relatio realis humanitatis ad Verbum, ut voluit Scotus: sive entitas modalis à Verbo, et humanitate realiter distincta, ut voluit Suarez: 1.° Quia non potest admitti entitas copulans humanitatem cum Verbo divino, quin recipiatur, tum in Verbo, tum in humanitate; *atqui* illa non potest recipi in Verbo, alias mutaretur: *ergo*: 2.° Quia si unio hypostatica sit entitas realiter ab extremis distincta, debet admitti secunda entitas, per quam prima uniatur, et tertia, per quam uniatur secunda, et sic in infinitum; *atqui* ille in infinitum processus repugnat: *ergo*, &c.

Obj. 1.° Humanitas Christi ad unionem erat indifferens: *ergo* debuit per aliquid reale superadditum determinari. *Nego conseq.* Nam indefferentia unibilium tollitur per accessionem unius ad aliud; et ideo indifferentia humanitatis Christi ad sui unionem cum Verbo fuit sublata per actionem, qua Verbum illi

Digitized by Google

suum esse divinum communicavit.

Obj. 2.° D. Thom. (*3. p. q. 2. à 7.*) dicit: *Unio est relatio quædam, quæ consideratur inter divinam naturam, et humanam, secundum quod conveniunt in una persona Filii Dei*: ergo ipsamet unio est relatio. *Dist. conseq.* Unio sumpta pro mutua habitudine, quæ oritur ex conjunctione humanitatis, et Verbi, *conc.* sumpta pro formali humanitatis, et Verbi vinculo, *nego conseq.* Ita Cajetanus D. Thomam interpretatur.

Q. 3. Quid sit ergo unio hypostatica? *R.* Communicatio divini esse, à Verbo facta humanitati, eam transferendo in suam propriam subsistentiam; nam, posita illa communicatione, concipi, et exponi possunt omnia Incarnationis mysteria, ut probavimus tom. 1.

Q. 4. Quinam erraverunt circa modum, quo facta est unio hypostatica? *R. Nestorius*, Patriarcha Constantinopolitanus; et *Eutyches*, Constantinopoli Abbas. 1.° *Nestorius* docuit, unionem Verbi divini cum humanitate non fuisse factam in persona; et ideo non fuisse physicam, substantialem, et hypostaticam; sed moralem tantum, et accidentalem, qualis reperitur inter Deum, et templum, in quo habitat: ex qua doctrina, *Sequitur* 1.° Duas esse in Christo personas, divinam nempe, et humanam: 2.° Verbum assumpsisse hominem, tum natura, tum per-

Digitized by Google

sona perfectum, qui primum in utero B. M. Virginis formatus, postea ad unionem cum Verbo assumptus est; ex quo necessario sequitur, Christum non esse vere Deum, et B. V. Mariam non esse Matrem Dei, sed tantum Christi: 3.° Admitti non debere realem Idiomatum communicationem, qua utriusque naturæ proprietates de se invicem prædicarentur in Christo.

2.° *Eutyches* docuit, ante unionem duas fuisse in Christo naturas realiter distinctas, divinam scilicet, et humanam; post unionem vero unam tantum remansisse: sive quia natura humana conversa est in divinam, à qua penitus absorpta est; sive quia ex duabus naturis confusis, et permixtis, conflata est una tertia natura à duabus distincta, sicut mixtum ex elementis substantialiter transmutatis producitur.

Q. 5. Utrum unio Verbi facta sit in unitate personæ? *R. Affirm.* Nam 1.° Scriptura aperte docet unum, eumdemque Christum esse Deum et hominem: dicit enim Apost. (*ad Rom.* 9.) » Israelitæ. . . ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus. Et *ad Phil.* 2. Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, &c.» Ergo si unus et idem est homo et Deus, non

Digitized by Google

duæ, sed una est in Christo persona: particula enim *qui* in his textibus designat personam: 2.° Concil. Ephesinum sic definit: »Si quis non confitetur Dei Verbum carni secundum hypostasim unitum, et unum tantum cum sua carne Christum, eundem nimirum Deum simul et hominem, anathema sit.» 3.° Duæ naturæ formaliter ad invicem distinctæ de se invicem substantive, et in concreto prædicari non possunt, nisi uniantur in persona; *atqui* natura divina et humana, formaliter ab invicem in Christo distinctæ, de se invicem substantive, et in concreto prædicantur,: dicitur enim: *Deus est homo: homo est Deus:* ergo, &c.

Obj. 1.° Humanitas Christi vocatur templum divinitatis, ex *Joann.* 2. ubi dicitur: *Solvite templum hoc*, &c. ergo diversa est persona Verbi, et humanitatis. *Dist. ant.* Vocatur templum, improprie, *conc.* proprie, *nego ant.* Itaque Verbum dicitur inhabitare humanitatem, metaphorice, eodem nempe modo, quo anima nostra dicitur inhabitare corpus nostrum, sic 2. *ad Cor.* 5. dicitur: *Si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, &c.* Attamen non licet inferre in homine duas esse personas.

Obj. 2.° SS. Patres Christum vocant *Hominem deiferum, deificatum, dominicum, divinitatis templum, divinitatis instrumentum*; atqui illæ omnes loquendi formulæ in-

Digitized by Google

dicant unionem duntaxat moralem inter utramque in Christo naturam: ergo, &c. *Nego min.* Illi enim termini indifferentes sunt ad exprimendam unionem moralem tantum, vel physicam, et substantialem; personarum ergo loquentium mens, scopus, et circunstantiæ accurate pensandæ sunt, ut genuinus verborum illorum sensus habeatur. Christus ergo à Patribus dicitur *deifer, deificus, dominicus*, quia Deum sibi hypostatice unitum defert. Vocatur *templum divinitatis*, substantialiter et hypostatice inhabitantis. Vocatur *instrumentum divinitatis*, sed conjunctum, pertinens ad unitatem personæ.

Q. 6. Utrum B. V. Maria vere, et proprie sit Mater Dei? *R. Affirm.* Nam genuit Filium Dei, ex *Luc.* 1. ubi dicitur: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ergo est vere et proprie Mater Dei, prout definitum est in Concil. Ephesino contra Nestorium, his verbis: *Si quis non confitetur, Emmanuelem vere Deum esse, et ob id S. Virginem Deiparam, (genuit enim illa incarnatum Dei Patris Verbum secundum carnem) anathema sit.*

Obj. 1.° B. V. Maria non genuit divinitatem: ergo. *Nego conseq.* Nam, ut B. V. Maria sit Mater Dei, sufficit, quod eum genuerit, qui non prius homo, quam Deus extitit, eodem fere modo, quo, ut mulier aliqua vere dicatur mater hominis corpore et

Digitized by Google

anima constantis, non opus est, ut animam ipsam genuerit, sed sufficit, ut eum genuerit, qui anima præditus est.

Obj. 2.° Mater debet esse ejusdem naturæ cum filio; *atqui* B. V. Maria non est ejusdem naturæ cum Deo; ergo, *Nego maj.* Nam, ut B. V. Maria dicatur, et sit Mater Dei, sufficit, ut ejus partus ad suppositum divinum terminatus sit:

Q. 7. Utrum unio Verbi incarnati facta fuerit in unitate naturæ, ita ut unica sit in Christo natura? *R. Negat.* Quia Christus non potest esse Deus et homo, quin in eo sit utraque natura, divina et humana, non confusa et permixta, sed omnino distincta; *atqui* Christus est verus Deus, enim Matth. 16. dicitur: *Tu es Christus, Filius Dei vivi.* Est etiam verus homo, ex Joan. 8. *Quæritis me interficere, hominem, qui vera locutus sum vobis*: ergo.., Hinc Concil. Chalcedon. definit, »Christum esse Deum verum et hominem verum, consubstantialem Patri secundum deitatem; consubstantialem nobis secundum humanitatem. ... unum eumdemque Christum, Filium, Dominum, Unigenitum, in duabus naturis inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum.

Obj. 1.° Julius S. P. (*Epist. ad Dionysium*) dicit: *Necesse est, eos, cum duas naturas dicunt, unam adorare, alteram non adorare.* Et D. Greg. Thaumaturgus in exposit.

Digitized by Google

fidei: *Non duæ personæ*, inquit, *neque duæ naturæ; non enim quatuor nos adorare dicimus*: ergo. *R.* Quod illa scripta falso ab Eutychianis adscribantur illis Patribus, ut probat Leontius (*Bibl. PP. tom. 9. p. 707. G.*)

Obj. 2.° D. Cyrillus (*Epist. 1. ad Successum*) negat duarum naturarum distinctionem post unionem: *Post unionem*, inquit, *naturas easdem à se mutuo non dividimus*: ergo. *Nego ant.* Non enim negat distinctionem naturarum, sed negat tantum earum divisionem et separationem, quia nimirum in unitate personæ adunantur. *Inst.* Idem (*Epist. 2.*) docet, duas naturas in Christo *sola mentis considerationè distingui*: ergo non sunt distinctæ realiter. *Nego conseq.* Nam utitur verbo *distingui*, pro verbo *dividi* et *separari*, quod patet ex eo, quod in exemplum distinctionis, de qua agit, proferat unionem cum corpore, quæ, licet distincta sint, non sunt tamen separata.

Obj. 3.° S. Athanas. in Symbolo ait: *Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus*; Atqui anima et corpus in unam hominis naturam coalescunt: *ergo*, &c. *Nego conseq.* Nam in eo tantum valet comparatio à D. Athanasio allata, quod sicut ex unione animæ et corporis, una resultat hominis persona, ita et in Christo ex utriusque naturæ unione.

Digitized by Google

Q. 8. Utrum unio hypostatica sit quid creatum: an sit substantialis, et etiam supernaturalis? *R.* Unio hypostatica est quid creatum, non *stricte*, quatenus creatio dicitur productio rei ex nihilo; sed *late*, quatenus sumitur pro actione, qua aliquid fit quod ante non erat: ratio est, quia Incarnatio facta est in tempore. Unio hypostatica est *substantialis*, ut contra Nestorium probavimus; etiamque est *supernaturalis*, nam ad esse personale cum Deo attolli, est naturæ creatæ prorsus indebitum, omnemque ejus exigentiam superat.

Obj. SS. Patres et Concilia docent, unionem hypostaticam esse naturalem: ergo. *R.* To *naturale* opponunt ficto et umbratili; non vero, gratuito beneficio.

Q. 9. Utrum unio hypostatica sit indissolubilis? *R. Affirm.* Nam, *Joan.* 12. dicitur: *Christus manet in æternum*; et ad Hebr. 13. *Christus heri et hodie, ipse et in sæcula.* Unde axioma theologicum: *Quod semel verbum assumpsit, nunquam dimisit*: Ergo in triduo mortis Verbum mansit unitum cum corpore et anima separatis; sed, &c.

Q. 10. An Sanguis in Passione effusus, toto triduo mortis remanserit Verbo unitus; et an totus reassumptus fuerit à Verbo in resurrectione? *R. Remansit*: Nam 1.° fuit pars naturæ humanæ integrans, in resurrectione reassumenda: 2.° Si in triduo mortis

Digitized by Google

Calix fulsset consecratus, verbum per concomitantiam fuisset sub speciebus vini, juxta illud, *Joan. 6. Qui bibit meum Sanguinem, in me manet, et ego in illo.* Totus Sanguis in passione effusus, reassumptus fuit a Verbo in resurrectione moraliter, id est, quoad maximam partem; sed probabile est, quod non fuerit reassumptus totus physice; nam in linteaminibus, lancea, corona spinea, &c. remanserunt maculæ sanguineæ, quæ certe non fuerunt purus color, cum colores non sint activi, nec aliter communicentur, quam per adhærescentiam substantiæ coloratæ.

Q. 11. Utrum ex unione hypostatica Verbi cum humanitate sequatur, personam Christi esse compositam? *R.* 1.° Non est composita compositione *ex his*: Nam omnis compositio *ex his* fit ex partibus proprie dictis; *atqui* natura divina in Christo non potest habere rationem partis proprie dictæ: aliàs esset ens incompletum, dicens ordinem ad suam compartem, ut ab ipsa compleatur: *ergo*, &c. *R.* 2.° Est vere et proprie composita compositione *cum his*: Nam hæc compositio nihil aliud est, quam realis extremorum realiter distinctorum conjunctio ad constituendum unum per se; *atqui* in Christo talis est conjunctio: *ergo*. Unde Concil. generale v. anathema dicit ei, *qui non confitetur unam ejus* (Christi) *subsistentiam com-*

Digitized by Google

positam, nimirum ex duabus naturis.

Q. 12. Utrum ex unione hypostatica sequatur communicatio idiomatum in Christo? *Nota*: Communicatio idiomatum fieri potest in concreto, vel in abstracto: *Fit in concreto*, quando fundatur in unitate personæ, quia concreta supponunt pro persona, unde sensus hujus propositionis, *Deus est homo*, hic est, *persona habens divinitatem, est persona habens humanitatem.* E contra *fit in abstracto*, quando fundatur in communicatione proprietatum divinitatis propriarum facta humanitati, v. g. *Humanitas est immensa, est ubique.* Hanc admittunt Luterani Ubiquistæ. His notatis,

R. 1.° Datur in Christo vera, et realis communicatio idiomatum in concreto: Nam 1. Scriptura humanitati in concreto tribuit ea, quæ divinitatis sunt propria, v. g. descensum de cœlo, et existentiam in cœlo, dum Christus in terra degeret, ex *Joann. 3.* Et vicissim divinitati in concreto tribuit ea, quæ solius humanitatis propria sunt, v. g. mortem, Act. 3. *Auctorem vitæ interfecistis.* Unde in Symbolis fidei, Deus dicitur pro nobis *passus, mortuus, ac sepultus....* 2. Nomina concreta supponunt pro eodem in recto, nempe pro supposito: *ergo* de se invicem possunt prædicari.

Nec dicas: hæc propositio, *unus de Trinitate passus est*, fuit damnata à Felice III.

Digitized by Google

S. P.... *R.* enim, quod non fuerit damnata in sensu obvio, in quo est vera et catholica; sed in sensu Petri Gnaphæi, et aliorum Eutychianorum, qui, cum docerent, divinitatem solam, humanitate penitus absorpta, remansisse in Christo, existimabant, divinitatem carni factam consubstantialem, vere passam esse; quod est hæreticum.

R. 2.° Non datur in Christo communicatio idiomatum in abstracto, ut fides docet contra Eutychianos Ubiquistas. Nam, quæ realiter à se invicem distinguuntur, non possunt de se invicem prædicari, nisi in aliquo communi subjecto, seu supposito uniantur; *atqui* duæ naturæ in Christo, et earumdem proprietates realiter distinguuntur, nec in ullo communi subjecto uniuntur, quando considerantur in abstracto; *ergo*. Unde de humanitate Christi dicitur, Matth. ult. *Non est hic, surrexit enim, &c.*

Obj. 1.° Quando duo inseparabiliter uniuntur, ubicumque unum illorum est, ibi debet esse et alterum; *atqui* Verbum et humanitas inseparabiliter uniuntur, et Verbum est ubique: *ergo* humanitas Christi est ubique. *Dist. maj.* Si hæc duo uniantur adæquate et totaliter, *conc.* inadæquate, *nego maj.* Sic quia humanitas Christi non adæquat immensitatem Verbi, ideo ubi illa reperitur, reperitur etiam Verbum: sed non ubicumque est Verbum, est etiam humanitas.

Digitized by Google

Obj. 2.° Hæc propositio est vera: *Christus*, seu *hic homo*, *qui est Christus, est ubique*; ergo et ista, *Christus, ut homo, est ubique*. *Nego conseq.* Disparitas est, quod in prima prop. *homo* supponit pro supposito, quod est immensum et ubique; in secunda vero propter particulam *ut*, supponit pro sola humanitate, quæ, cum sit finita, non potest esse ubique.

DISSERATIO II.

De Termino totali Incarnationis, seu de Christo.

Nota: In Christo perpendi possunt scientia, gratia, dona ac virtutes; libertas; meritum; satisfactio; varii tituli ac officia; adoratio ipsi debita, et tandem Mater.

CAPUT I.

De Scientia Christi.

Q. 1. Utrum fuerit in Christo scientia creata? *R. Affirm.* Nam anima rationalis in Christo non fuit sine sua propria operatione, aliàs fuisset imperfecta, utpote frustrata fine, propter quem est; *atqui* propria animæ rationalis operatio est cognitio, et scientia: *ergo*.

Digitized by Google

Obj. Frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora: *ergo* cum Christus omnia cognoverit per scientiam divinam, scientia creata fuit inutilis. *Dist. ant.* Quando fit per eandem facultatem, *conc.* quando per diversas, *nego ant.*

Q. 2. Quotuplex sit scientia creata, et quam scientiam habuerit Christus, ut homo? *R.* Scientia creata est triplex, scilicet, *beatifica*, quæ in clara Dei visione posita est; *Infusa*, quæ à Deo liberaliter infunditur, absque ullo humanitatis actu: Et *acquisita* quæ propriis naturæ viribus, successu temporis, comparatur. Christus, ut homo, habuit scientiam beatificam: Nam ipsemet, *Joan.* 8. dicit: *Si dixero, quoniam nescio eum*, (Patrem) *ero similis vobis mendax; sed scio eum, et sermonem ejus servo.* Hic Christus loquitur de se ipso ut homo est, ut probant hæc verba: *Sermonem ejus servo;* Atqui asserit se scire Patrem: scire autem, est rem clare et intuitive cognoscere: qui enim clare et intuitive non videt, credit; non novit, nec scit: *ergo.*

Obj. Christus in terris erat viator: *ergo* non potitus est visione beatifica. *R.* Erat viator simul et comprehensor. Erat viator respectu impassibilitatis et immortalitatis sui corporis, quam debuit mereri, ex *Luc.* 24. *v.* 26. ubi dicitur: *Oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam*, id est, cor-

Digitized by Google

poris sui. Erat comprehensor respectu visionis beatificæ, qua potiebatur. *Inst.* Visio beatifica cum maximo dolore, maximaque tristitia, non potest compati; *atqui* Christus maximos dolores, maximamque expertus est tristitiam: ergo. *Dist. maj.* Naturaliter, *conc.* per miraculum, *nego maj.* Porro Christus per miraculum cohibuit vim delectationis, quam sua anima percipiebat ex Dei fruitione, ut ipsa posset tristitiæ affectionem percipere.

Q. 4. Utrum Christus, ut homo, habuerit scientiam infusam? *R. Affirm.* Nam fuit vir perfectus, ex *Jerem. 31. Novum creavit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum*; Atqui non fuisset vir perfectus, si, more cæterorum hominum, ad plenam rerum omnium scientiam debuisset paulatim, et quasi per ætatis gradus pervenire: *ergo.* Unde Apostolus, *ad Coloss. 2.* de Christo ait: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, et scientiæ.*

Obj. Per scientiam beatificam cognoscuntur omnia, quæ cognosci possunt per infusam; *ergo* hæc inutilis est. *Dist. ant.* Cognoscuntur diverso modo, *conc.* eodem modo, *nego ant.* Nam per scientiam beatificam res cognoscitur in essentia divina: at per scientiam infusam cognoscitur in se, in propria specie; hic autem cognoscendi modus Christum decebat, sicut et decuit, ut vi-

Digitized by Google

deret oculis corporeis, quod mente per scientiam beatificam videbat.

Q. 5. Quandonam humanitas Christi fruita est utraque illa scientia, beatifica et infusa? *R.* A primo conceptionis instanti: Quia utraque illa scientia ipsi debebatur vi suæ unionis hypostaticæ cum Verbo; *atqui* à primo instanti conceptionis anima Christi fuit unita Verbo: ergo.

Q. 6. Utrum Christus, ut homo, habuerit scientiam acquisitam. *R. Affirm.* Nam, *Luc.* 2. de Christo dicitur: *Proficiebat ætate, et sapientia*; atqui non proficiebat sapientia infusa: ea enim in ipso fuit à primo conceptionis puncto: *ergo* proficiebat sapientia acquisita. Et ad *Hebr.* 5. ait Apost. *Cum esset Filius Dei, didicit ex eis, quæ passus est, obedientiam*, id est, quam arduum esset exequi, quæ Deus ab eo postulabat.

CAPUT II.

De Gratia, donis, ac virtutibus Christi.

Q. 1. Utrum fuerit in Christo gratia unionis? *R.* Fuit gratia unionis, per quam ejus humanitas sanctificata est sanctitate substantiali: nam sanctificari substantialiter est habere esse divinum sibi substantialiter unitum; *atqui* humanitas Christi per unionem hypostaticam habet esse divinum sibi substantialiter unitum: *ergo*.

Digitized by Google

Obj. 1.° Verbum non communicat humanitati suam immensitatem, æternitatem, &c. *ergo* nec suam sanctitatem. *Nego conseq.* Disparitas est, quod humanitas sit capax recipiendæ sanctitatis substantialis, quæ nihil aliud est, quam sui unio hypostatica cum Verbo; è contra cum sit finita, et limitata, non est capax æternitatis, et immensitatis recipiendæ.

Obj. 2.° Humanitas Christi est tam capax divinæ potentiæ et scientiæ, quam sanctitatis; *atqui* Verbum non communicat humanitati omnipotentiam et omniscientiam: *ergo*, &c. *Nego maj.* Disparitas est, quod sanctitas se habeat per modum rei cujusdam moralis, subjectum moraliter afficientis, ob quam dignum censeatur, quod diligatur à Deo, et jus habeat ad æternam beatitudinem; quæ omnia non præsupponunt aliquam formam intrinsece existentem; at vero omnipotentia et scientia se habent per modum rei physicæ, subjectum physice afficientis, quod præsupponit formam intrinsece inexistentem, sive per identitatem, sive per informationem: et ideo humanitas in Christo potest participare sanctitatem Verbi in se moraliter derivatam; non potest autem participare omnipotentiam, aut omniscientiam, quæ ipsi nec possunt identificari, nec inhærere.

Q. 2.° Utrum Christus, ut homo, habuerit gratiam habitualem? *R. Affirm.* Nam,

Digitized by Google

Joan. 1. dicitur: *Verbum caro factum est.... plenum gratiæ, et veritatis;* Atqui illa plenitudo intelligitur, tum de gratia substantiali Christi, tum de gratia habituali, quæ tanta fuit, ut non major potuerit dari de lege ordinaria: *ergo*, &c. Hinc D. August. (*lib. 15. de Trinit. cap. 26.*) ait: *Dominus ipse Jesus non solum Spiritum sanctum dedit ut Deus, sed etiam accepit ut homo, et propterea est plenus gratiæ: quia unxit eum Deus Spiritu sancto, non utique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia.* Ubi D. Doctor manifeste loquitur de gratia adventitia spirituali.

Obj. 1.° Gratia habitualis reddit subjectum, in quo est, Filium Dei adoptivum; *atqui* Christus non potest esse Filius Dei adoptivus: ergo. *Dist. maj.* Si subjectum, in quo recipitur, sit capax filiationis adoptivæ, *conc.* si illius non sit capax, *nego maj.* Porro Christus non est capax filiationis adoptivæ, etiam ut homo est: quia nimirum est Filius Dei naturalis.

Obj. 2.° Gratia habitualis non erat Christo necessaria: ergo. *Dist. ant.* Absolute, *conc.* ut connaturaliter eliceret actus supernaturales et meritorios, *nego ant. Inst.* Gratia habitualis non ordinatur ad operationem: *ergo* non fuit necessaria Christo ad actus supernaturales eliciendos connaturaliter. *Dist. ant.*

Digitized by Google

Non ordinatur ad operationem primario, et proxime, *conc.* radicaliter, et secundario, *nego ant.* Equidem gratia habitualis primario et proxime ordinatur ad sanctificandam animam, et eam efficiendam Deo gratam; verum secundario, et radicaliter ordinatur ad operationem, quatenus virtutem animæ confert ad producendos actus supernaturales.

Q. 3. Utrum gratia Christi habitualis fuerit infinita? *R.* Non fuit infinita physice, quia est creata; sed fuit infinita moraliter, id est, juxta quamdam æstimationem moralem, propter conjunctionem cum personalitate Verbi.

Q. 4. Quasnam insuper gratias Christus habuerit? *R.* 1. Habuit gratiam actualem, non quidem *excitantem*, quia semper vigil, et ad optima quæque erectus fuit; sed *cooperantem*, qua eguit ad actus supernaturales eliciendos. *R.* 2.° Habuit omnes gratias gratis datas, nempe gratiam sanitatum, operationem virtutum, genera linguarum, &c. *R.* 3.° Habuit omnia dona Spiritus sancti, nam *Isaiæ 11. v. 3.* dicitur: *Requiescet super eum Spiritus Domini; Spiritus sapientiæ et intellectus; Spiritus consilii et fortitudinis; Spiritus scientiæ et pietatis; et replebit eum Spiritus timoris Domini.*

Q. 5. Utrum virtutes Theologicæ fuerint in Christo? *R.* 1.° In Christo fuit *charitas*: Nam vel est quid idem cum gratia habitua-

Digitized by Google

fi, ut volunt Scotistæ; vel ejus individua comes, ut volunt Thomistæ. *R.* 2.° In Christo non fuit *fides*, quia statui beatitudinis adversatur propter ejus obscuritatem; nec *spes*, quia fides est fundamentum spei: *ergo* ubi non est fides, nec est spes.

Q. 6. Utrum omnes virtutes morales infusæ fuerint in Christo? *R. Affirm.* Nam simul cum gratia habituali infunduntur.

Q. 7. Utrum omnes virtutes morales acquisitæ fuerint in Christo? *R.* Eæ virtutes, *quæ peccatum non supponunt*, fuerunt in Christo: quia animam ejus perficere, ac rite instituere poterant ad opera, legi naturæ consentanea, exercenda intra limites ejusdem legis. Hinc 1.° *Temperantia* non fuit in Christo, quatenus importat resistentiam pravis concupiscentiæ motibus: quia sic peccatum supponit; sed solum quatenus dicit abstinentiam ab omni voluntate venerea. 2.° Nec *pœnitentia*, quatenus dicit principium actus, quo dolemus de peccatis alienis, et offensa Dei.

CAPUT III.

De Libertate, et merito Christi.

Q. 1. Utrum Christus fuerit liber circa præcepta legis naturalis? *R.* 1.° Non fuit liber quoad substantiam rei imperatæ: quia rem

Digitized by Google

lege naturali præceptam non potuit omittere, aut rem eadem lege prohibitam, ponere. *R.* 2.° Fuit liber quoad motivum, et circumstantias rei imperatæ; quia nec motivum actus, nec ejusdem circumstantiæ imperantur: *ergo*, &c.

Q. 2. Utrum Christus in subeunda morte à Patre præcepta, fuerit liber? *R. Affirm.* Nam 1.° Christus, *Joan.* 10. dicit: *Ego pono animam meam... nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso.* Supra quæ Verba, D. August. tract. 47. in Joan. introducit Christum dicentem: *Non glorientur Judæi... sæviant, quantum possunt, si ego noluero animam meam ponere; quid, sæviendo, facturi sunt?* 2.° Christus ipsa sua morte meruit, ex *Joan.* 10. ubi ait: *Propterea me diligit Pater, quia pono animam meam.* Et *Hebr.* 5. etiam legitur: *Consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ*; Atqui ad merendum requiritur libertas à necessitate simplici, ut definivit Innoc. x. *ergo*, &c.

Q. 3. Quomodo Christi libertas circa mortem præceptam cum ejus impeccabilitate conciliari possit? *R.* Conciliari potest dicendo, Christi libertatem in hoc consistere, quod potuerit dispensationem à Patre petere, et obtinere, si voluisset; quam tamen lubens ac volens non petivit, juxta illud Matth. 26. *An putas, quia non possum ro-*

Digitized by Google

gare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum? Sed qui dispensationem ab aliquo præcepto petere potest, et obtinere, hic tamen eam vult petere, ad hujus præcepti observationem, vel non observationem, est maximè liber: *ergò.*

Obj. Quando Christus dixit: *An putas, quia non possum rogare Patrem, &c.* jam acceptaverat legem moriendi: *ergo* inde non potest concludi, quod dispensationem ab illa lege potuerit obtinere. *Dist. ant.* Jam acceptaverat legem moriendi, et simul facultatem sibi reservarat, dispensationem petendi ab illa lege, si vellet, *conc.* secus, *nego ant.* Id constat ex textu.

Inst. 1.° Præceptum, quo quis sese liberare potest per dispensationem, quam habet in sua potestate, non est verum, et rigorosum præceptum; *atqui* Christo fuit impositum verum, et rigorosum præceptum: ergo. *Dist. maj.* Non est rigorosum præceptum, si ab eo quis possit sese eximere auctoritate propria, *conc.* si sola auctoritate præcipientis, *nego maj.* Inst. 2.° Præceptum rigorosum semper obligat sub culpa; *atqui* præceptum, à quo quis potest dispensationem obtinere, non semper obligat sub culpa: ergo. *Dist. maj.* Semper obligat sub culpa, vel ad rem præceptam exequendam, vel ad obtinendam dispensationem, *conc.* semper obli-

Digitized by Google

gat ad exequendam rem præceptam, *nego maj.*

Q. 4. Utrum Christus vere, ac proprie meruerit; et quandonam incœperit? *R.* Christus meruit, ut fides docet, dicitur enim *Hebr.* 5. *Consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa (utique meritoria) salutis æternæ.* Ex Trident. sess. 6. cap. 7. Christus sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem *meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit.* Ratio est, quia in Christo reperiuntur omnes conditiones ad meritum de condigno, scilicet status viæ, libertas arbitrii, sanctitas, et promissio ex parte Dei, nam *Isaiæ* 55. legitur: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Christus incœpit mereri à primo conceptionis instanti, sic Apost. *Hebr.* 10. *Ingrediens mundum, dicit: Hostiam, et oblationem noluisti::: tunc dixi, ecce venio, ut faciam,* Deus, *voluntatem tuam... in qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem Corporis Christi semel.*

Obj. Prius est esse, quam operari: *ergo* Christus non meruit in primo suæ conceptionis instanti. *Dist. ant.* Prius est natura, *conc.* tempore, *nego ant.* Unde potuit eodem instanti reali incipere esse, et operari libere, adeoque mereri.

Q. 5. Utrum Christus adhuc hodie mereatur? *R. Negat.* Nam ad meritum requiritur status viæ: unde de seipso dicit: *Me opor-*

Digitized by Google

tet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.

Obj. Hebr. 7. de Christo dicitur, quod sit *semper vivens ad interpellandum pro nobis*: ergo adhuc meretur. *Nego conseq.* Nam interpellat pro nobis, non de novo merendo; sed meritum in sua morte consummatum Deo offerendo, nobisque applicando.

Q. 6. Per quosnam actus Christus meruerit; et quid sibi meruerit? *R.* Christus meruit per solos actus liberos humanitatis suæ: ex quo D. Thom. (hic, *q. 19. à 3. ad 1.*) dicit: *Nec tamen per charitatem meruit in quantum erat charitas comprehensoris, sed in quantum erat viatoris.* Sibi Christus meruit gloriam corporis, et nominis exaltationem, ex Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen*, &c.

Obj. Corporis gloria, et nominis exaltatio erant Christo debitæ ratione unionis hypostaticæ: *ergo*, &c. *Nego conseq.* Nam debitum naturale, et meritum inter se non repugnant: *ergo* duplici illo titulo Christus recepit gloriam Corporis, et nominis exaltationem.

Q. 7. Quid nobis Christus meruerit? *R.* 1.° Omnia dona gratiæ, ex *Rom. 3. v. 24. Ju-*

Digitized by Google

stificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu. Unde Concil. Trid. (sess. 6. cap. 5.) *declarat, ipsius justificationis exordium in adultis à Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse:* 2.° Omnia dona gloriæ, ex Rom. 5. *In vita regnabunt per unum Jesum Christum.* Quod etiam definitur in Concil. Trid. (*sess. 6. cap. 16.*)

Q. 9. Quid Christus Angelis sanctis meruerit? *R.* 1.° Non eis meruit gratiam, et gloriam essentialem; nam 1. non est mortuus pro ipsis, ex *Hebr.* 2. *Qui sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes... nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.* 2. Gratia, et consequenter gloria decreta est Angelis ante prævisam Incarnationem. *R.* 2.° Angelis sanctis meruit quasdam illustrationes, et gaudia, aliaque dona accidentalia. Nam, *ad Coloss.* 2. Christus *est caput omnis principatus, et potestatis,* id est, Angelorum: *ergo* aliquid ipsis meruit; *atqui* ipsis non meruit gratiam, et gloriam essentialem: *ergo*, &c.

CAPUT IV.

De Satisfactione Christi.

Q. 1. Utrum Christus vere, ac proprie pro nobis satisfecerit? *R. Affirm.* Prout fi-

Digitized by Google

des docet contra Socinianos: nam ad proprie dictam satisfactionem tria requiruntur, nempe 1.° impositio pœnæ à superiore: 2.° eiusdem pœnæ voluntaria susceptio in inferiore: 3.° eiusdem pœnæ loco rei per veram subrogationem persolutio; *atqui* 1. Deus oneravit Christum pœnis peccato debitis, legitur enim *Isaiæ 53. Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* 2. Christus illas pœnas persolvendas in se suscepit, nam *ad Galat. 3.* dicitur: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*, id est, punitionem nobis debitam in se transtulit: 4.° easdem pœnas loco nostri per veram subrogationem persolvit, ex 2. *Cor. 5. Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit:* ergo.

Obj. Si Christus pro nobis satisfecisset: 1.° debitum nostrum non fuisset gratis remissum: 2.° Inanes, et frustraneæ essent nostræ privatæ satisfactiones: 3.° Innocens pro reo plecteretur, quod est contra æquitatem: 4.° Deus sibi ipsi satisfaceret: nam Christus est Deus; *atqui* hoc repugnat: ergo. *R. Ad 1. distinguendo:* debitum non fuit gratis remissum respectu Christi sponsoris, qui pro debitore solvit, *conc.* respectu hominis debitoris, cujus personale debitum in sponsorem transfertur, *nego.* Quod ergo Deus vadis et sponsoris solutionem personalem acceptaverit, fuit certe maxima benignitas, ea-

Digitized by Google

que censetur gratuita debiti remissio respectu hominis.

R. Ad 2. nego sequel. Quia licet Christus omne pretium pro nobis solverit; ejus tamen merita nobis non applicantur, nisi per bonas nostras actiones, per gratiam Christi elicitas; nec Deus acceptavit satisfactiones Christi, nisi sub hac conditione. *R. Ad 3. dist.* Est contra æquitatem, ut innocens pro reo plectatur, si sponsor ejus non fuerit à Deo ipso constitutus, *conc.* si sponsor ejus fuerit, *nego.* Peccata enim rei quoad pœnam censentur translata in sponsorem. *R. Ad 4. nego ant.* Ad prob. *dist.* Christus est Deus, simul et homo, *conc.* est Deus tantum, *nego.* Porro Christus ut homo, sibi ipsi satisfecit ut Deo, in quo nulla est contradictio.

Q. 2. Utrum Christus satisfecerit ex vera justitia? *R. Affirm.* Nam, *Rom. 3.* dicitur: *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ.* Et *Coloss. 2. Delens, quod adversum nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci;* atqui hæ voces: *Ostensio justitiæ... delens chirographum*, sonant satisfactionem ex vera justitia: *ergo.* Quare D. Aug. (*lib. 13. de Trinitate*) ait: *Non autem diabolus potentia Dei, sed justitia superandus fuit.*

Obj. Inter Patrem et Filium non potest

Digitized by Google

dari actus justitiæ stricte dictæ; *atqui* Christus ut Deus homo, est Filius Patris æterni: ergo. *Dist. maj.* Si Filius non habeat bona propria, *conc.* si habeat, *nego maj.* Filius autem Dei habet humanitatem, cujus est Dominus: *ergo* ex propriis potuit satisfacere.

Q. 3. Utrum Christus satisfecerit ex justitia rigorosa? *R. Affirm.* Nam satisfactio rigorosa definitur: *Redditio voluntaria honoris æquivalentis ex propriis, et aliunde indebitis ad compensandam injuriam alteri per peccatum illatam*; atqui sex conditiones in illa definitione contentas habuit satisfactio Christi: *ergo*, &c. Nam, 1.° Fuit *voluntaria*: nam Isaiæ 53. dicitur: *Oblatus est, quia ipse voluit.* 2.° Fuit *æquivalens*, imo et *superabundans*: Nam 1.° in Ps. 129. dicitur: *Copiosa apud eum redemptio.* Et *Rom. 5. Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia*: ergo redemptio per Christum fuit superabundans: 2.° satisfactio Christi in genere mortis est infiniti simpliciter valoris: nam ille valor petitur ex dignitate personæ satisfacientis, quæ est illius principium *quod*: persona autem Christi est infinita simpliciter: *ergo*, &c.

Obj. Christus satisfecit per actiones humanas; *atqui* actiones humanæ Christi non sunt infinitæ: *ergo* ejus satisfactio non fuit infinita. *R. Dist. min.* Non fuerunt infinitæ quoad entitatem physicam, *conc.* quoad valorem moralem, *nego min.* Duplex enim fuit

Digitized by Google

valor moralis in actionibus Christi *Theandricis*, nimirum radicalis et derivatus: *radicalis* est ille, qui petitur ab ipsa Verbi divini personalitate, in quantum est veluti pars pretii oblati, ex qua et ipsa actione unum quoddam morale coalescit, quod Deo in satisfactionem offertur: hic valor est infinitus, utpote fluens à persona Verbi infinita. *Valor derivatus* est ille, qui petitur ab ipsa Verbi personalitate, prout habet rationem circumstantiæ significantis actiones agentis: hic est etiam infinitus, utpote fluens ex unione hypostatica Verbi cum humanitate.

Inst. Ut valor radicalis actionum Christi sit infinitus, debuit persona Christi sese submittere, et offerre; *atqui* persona Christi, utpote divina, non potuit sese submittere, et offerre: *ergo*, &c. *Dist. min.* Persona Christi secundum se sumpta, *conc.* hypostatice unita cum humanitate, *nego min.* Nam de ea, sic considerata, scribit Apostolus *Coloss. 2. Humiliavit semetipsum.*

3.° *Satisfactio Christi fuit ex propriis bonis*; nam Christus satisfecit per actiones *Theandricas*; atqui hæ actiones erant sub speciali et absoluto Christi dominio: persona enim Verbi, utpote divina, sub nullius dominio jacebat, sive spectetur, ut erat pars satisfactionis, sive, ut dignificabat actiones satisfactorias: *ergo*, &c.

2. *Obj.* Christus satisfecit in quantum erat

Digitized by Google

homo; *atqui* omnia, quæ Christus habuit ut homo, erant sub dominio Dei: ergo. *Dist. maj.* Christus satisfecit in quantum erat homo et Deus simul, *conc.* in quantum homo tantum, *nego maj.* Suppositum enim Verbi, et fuit pars satisfactionis, et actiones satisfactorias dignificavit.

4.° *Satisfactio Christi fuit ex bonis alias indebitis*: constat ex dictis; illud quippe est alteri indebitum, quod est sub singulari, et absoluto Christi dominio; *atqui*, &c.

Obj. Omnes actiones Christi satisfactoriæ erant creatæ: *ergo* erant Deo debitæ titulo gratitudinis, religionis, &c. *Dist. ant.* Erant creatæ quoad entitatem, *conc.* quoad valorem substantialem, *nego min.* Valor enim ille oritur ab ipsa Verbi persona, quæ sicut nulli subjacet, sic nulli quidquam debet.

5.° *Satisfactio Christi fuit ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam:* ait enim Apost. *Rom.* 5. *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus.* 6.° *Satisfactio Christi fuit ad alterum.* Quia fuit ab ipsa Verbi divini personalitate, ut terminante naturam humanam; *at* personalitas verbi, prout terminat naturam humanam, distinguitur non tantum à personis Patris et Spiritus sancti, sed etiam à seipsa, prout in divina tantum natura subsistit: habet enim naturam distinctam, dominium distinctum, personam saltem virtualiter distinctam: *ergo*, &c.

Digitized by Google

Obj. Satisfactio, quæ à Filio exhibetur Patri, non est proprie ad alterum, quia Pater et Filius unam tantum, saltem moraliter, personam constituunt: ergo. *Nego maj.* Ad prob. *dist.* si non habeant dominia diversa, *conc.* si habeant, *nego ant.* Porro Christus, prout est homo, dominium habet omnino distinctum à dominio Patris, ratione cujus personam virtualiter à Patre distinctam habet.

CAPUT V.

De Variis Christi titulis, et officiis.

Q. 1. Quibus titulis insignitur Christus ut homo? *R.* In Scripturis hi præcipue numerantur. I. *Est, et vere dicitur prædestinatus*, 1.° ad filiationem divinam, quia decretum fuit ab æterno, ut Christus, quatenus homo, esset in tempore Filius Dei, sic in *Rom. 1. Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute*: 2.° Prædestinatus est ad visionem beatificam, quia prædestinatus est ad divinam filiationem, cui visio beatifica debetur, et ex qua sequitur.

Obj. Prædestinatio refertur ad personam; *atqui* persona Christi non potest dici prædestinata ad divinam filiationem: ergo. *Dist. min.* Persona Christi, prout in seipsa subsistens, *conc.* prout subsistens in natura humana, *nego min.* Licet ergo persona Verbi

Digitized by Google

semper fuerit Filius Dei simpliciter, non tamen fuit semper Filius Dei, quatenus subsistens in humanitate assumpta, sed hoc acquisivit in tempore ex mera Dei liberalitate.

II. *Est Filius Dei, non adoptivus, sed naturalis*, ut definivit Adrianus Papa, et concil. Francofordiense contra Felicem, et Elipandum. Nam 1.° Scriptura Christum, etiam *prout est homo*, vocat Dei Filium, ex *Rom. 8. Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum;* atqui *non est traditus secundum divinitatem, sed secundum id quod erat homo*, ait Adrianus Papa: *ergo*: 2.° in concil. Francoford. approbatus est liber, qui inscribitur *Sacrosyllabus*, in quo dicitur: *Proprius Filius factus est ex muliere, non adoptivus:* 3.° Filius adoptivus est *persona extranea, quæ per gratiam ad hæreditatem assumitur;* atqui Christus, *etiam ut homo*, non est persona extranea respectu Dei, cum sit ipsamet persona Verbi, quæ est vere et proprie Filius Dei: *ergo*, &c.

Hinc Christus, *etiam ut homo*, nec est, nec dici potest *servus proprie*: nam servus proprie est is, qui non est sui juris, sed Domini, ad cujus hæreditatem et bona nullum habet jus; *atqui* Filius naturalis est sui juris, ac vi suæ originis habet jus ad bona, et hæreditatem Patris: *ergo.*

Obj. 1.° D. Hilarius (*lib. 2. de Trinit.*)

Digitized by Google

ait: *Potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur*: ergo. *R.* In textu Hilarii mendum irrepsisse in aliquibus exemplaribus, positumque *adoptatur* pro *adoratur*.

Obj. 2.° Christus habet formam adoptionis, nempe gratiam sanctificantem: *ergo* est Filius adoptivus: forma enim necessario producit suum effectum. *R. Nego conseq.* Ad prob. *dist.* in subjecto capaci, *conc.* in subjecto incapaci, *nego cons.* Porro Christus, cum sit Filius naturalis, incapax est adoptionis.

Obj. 3.° Filius naturalis est productus in similitudinem naturæ; *atqui* Christus, ut homo, non est productus à Deo in similitudinem naturæ: ergo. *Dist. maj.* Filius naturalis, qui producitur per viam generationis, *conc.* per viam unionis substantialis cum Verbo, *nego maj.* Itaque Christus, *ut homo*, in primo suæ conceptionis instanti fuit hypostatice cum Verbo unitus, cujus unionis virtute fit, ut una sit cum Deo persona, et consequenter Filius Dei naturalis.

Obj. 4.° Christus (ex *Philipp.* 2.) *formam servi accepit. Dist. ant.* Accepit formam servi, improprie, et quoad officia tantum, *conc.* quoad conditionem servilem, *nego ant.* Equidem ad officia servi sese demisit Christus, sed servi conditionem nunquam suscepit, imo nec suscipere potuit, utpote Filius Dei naturalis.

Digitized by Google

III. *Est caput Ecclesiæ*, nam in *Ephes. 1.* legitur: *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* Ratio est, quia in omnia Ecclesiæ membra gratiam et dona spiritualia influit; nam *de plenitudine ejus omnes accepimus:* sic *Joan. 1.* Hinc est caput morale, 1.° *Angelorum*, in quos influit varias illuminationes, variaque dona gloriæ, et gaudiorum accidentalium: 2.° *Beatorum*, quibus communicat gloriam: 3.° *Justorum*, quibus communicat gratiam et charitatem: 4.° *Fidelium peccatorum*, qui illi uniuntur per fidem, quæ, licet sit mortua, est tamen gratia per Christum: 5.° est etiam caput *infidelium*, non quidem *actu*, cum nullam vitam ipsis communicet, neque perfectam per charitatem, neque imperfectam per fidem; sed *potentia*, quatenus ipsis communicat gratias actuales, quibus si cooperarentur, ulterioribus auxiliis instruerentur, quibus possent ad fidem pervenire, baptizari, et salvari: 6.° nullo modo est caput *damnatorum*, quia nullum à Christo recipiunt influxum, à quo in æternum sunt separati.

IV. *Est Rex, non solum ut Deus, sed etiam ut homo;* nam, *Psalm. 2.* de seipso dicit: *Ego autem constitutus sum Rex super Sion montem sanctum ejus;* atqui non est constitutus Rex ut Deus, cum titulum illum necessario ex natura divina habeat: *ergo.* Porro regnum Christi fuit spirituale, non

Digitized by Google

temporale; ut ipsemet declarat in *Joan. 18.* inquiens: *Regnum meum non est de hoc mundo.*

V. *Est Judex vivorum, et mortuorum, etiam ut homo:* nam *Act. 10.* legitur: *Ipse est constitutus à Deo Judex vivorum, et mortuorum;* atqui non est constitutus Judex, ut Deus: *ergo.*

VI. *Est vere ac proprie Sacerdos, prout homo hypostatice unitus Deo:* sic David Psalm. 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

Dicitur 1.° *Prout homo hypostatice unitus Deo*; quia Sacerdos debet esse medius inter Deum et homines, debetque habere Superiorem, cui sacrificet; *atqui* Christus, non ut Deus, sed ut homo, est medius inter Deum, et homines, estque Deo inferior: *ergo.* Hinc Apostolus, *ad Hebr. 5.* dicit: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus,* &c. 2.° *Secundum ordinem Melchisedech:* quia Melchisedech offerendo panem et vinum, præfiguravit sacerdotium à Christo instituendum: 3.° *In æternum:* 1. Quia Christus non habet successores, sed vicarios: nam *Hebr. 7.* ait Apost. *Eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium:* 2. Quia effectus sacrificii Christi, qui est consummatio sanctorum in gloria, in æternum duraturus est, et sic causa dicitur æterna ab æternitate effectus.

Digitized by Google

VII. *Christus ut homo, est Patronus noster:* quia 1. in hac vita vere ac proprie oravit pro nobis, *ex Lucæ 6. Exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei.* 2. Etiam nunc in cœlis orat pro nobis, *Rom. 8.* legitur: *Christus, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Ad quæ verba D. Aug. (*Epist. 59.*) ait: *Quia postulat, pro eo positum est, interpellat.*

Obj. Christus nunc non meretur: *ergo* nec orat. *Nego conseq.* Disparitas est, quod status viæ requiratur ad merendum, non autem ad orandum. *Inst.* Qui orat, impetrat; *sed* qui impetrat, meretur: *ergo*, &c. *Dist. min.* Qui impetrat, propter dignitatem actualem suæ orationis meretur, *conc.* propter merita præterita, *nego min.* Sic autem Christus impetrat.

VIII. *Est mediator Dei et hominum, 1. ad Tim. 2.* dicitur: *Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus*: ergo est mediator, non secundum divinitatem, ut vult Calvinus, sic enim est Deus: *ergo* non medius inter Deum et homines; sed secundum humanitatem Verbo divino hypostatice unitam: sic enim distat à Deo in natura, et ab hominibus in dignitate infinita gratiæ unionis. Christus ergo est mediator, ut homo Deus, seu, ut homo subsistens in persona divina, ita ut persona divina fuerit principium *quod* mediationis

Digitized by Google

Christi, et natura humana principium *quo*.

Q. 1. Utrum Christi mediatio excludat mediationem Sanctorum, una cum ipso in cœlis regnantium. *R. Non excludit*: quia licet Christus sit solus mediator simpliciter, quatenus reconciliat partes dissidentes, non solum orando; sed etiam solvendo, et satisfaciendo uni parti pro altera; sancti tamen sunt mediatores secundum quid et mediate, quia interpellant Deum pro hominibus, sed mediate tantum, nempe per Christum, qui nos redemit.

Q. 2. Quid fides doceat de sanctorum erga nos officiis? *R.* Docet 1.° Sanctos suas orationes pro nobis offerre: 2.° Bonum, ac utile esse eos invocare. *Mandat sancta Synodus omnibus Episcopis, &c. Ut juxta catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ usum à primævis christianæ religionis temporibus receptum... fideles diligenter instruant, docentes eos, sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre: bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, &c. Trid. sess.* 25. Hoc dogma jam definitum erat in VI. Synodo, in qua c. 7. dicitur: *Solo Deo Creatore adorato, invocet Christianus sanctos, ut pro se intercedere apud majestatem divinam dignentur.*

Ratio est, quia pium et utile est invocare Sanctos viventes: *Nec cesses pro nobis cla-*

Digitized by Google

mare ad Dominum, ut salvet nos, inquiunt filii Israel ad Samuelem (*lib. 1. Reg. cap. 7.*) Et Apostolus *Rom. 5.* ait: *Obsecro vos, fratres, ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum*: ergo similiter pium ac utile est invocare homines sanctos, qui cum Christo regnant in cœlis. *Prob. conseq.* Quia, si non sit pium ac utile Sanctos invocare, hoc est, vel quia nolunt nobis succurrere, vel quia non possunt, vel quia quod oramus ignorant, vel quia, ipsos invocando, fit injuria Deo et Christo; *atqui* neutrum horum dici potest.

Non primum, cum nunc majori charitate sint præditi, quam cum in terris degerent. *Non secundum*, quia si poterant nobis succurrere, cum hic erant peregrini, quanto magis nunc poterunt in patria? *Non tertium*, quia unde sciunt Angeli conversionem peccatorum, pro qua tantopere gaudent in cœlis, *ex Lucæ 15.* inde sciunt Sancti nostras preces, nimirum per revelationem divinam. *Non quartum*, quia similiter fieret injuria Christo, viventes Sanctos invocando: hoc argumentum Calvinistæ nunquam solvere potuerunt.

Obj. 1.° Injuriosum est, Christo mediatorem apud Deum adjungere; *atqui* praxis invocandi Sanctos, Christo mediatorem adjungit: ergo. *Dist. maj.* Injuriosum est adjungere Christo mediatorem, primarium et sim-

Digitized by Google

pliciter, *conc.* secundarium et secundum quid, *nego maj.* Nam mediator secundarius non est ille, qui pro nobis solvit, ac satisfacit; sed est ille tantum, qui pro nobis orat per merita primarii mediatoris, quod tantum abest, ut sit Christo injuriosum, quin potius ejus merita maxime commendet.

Obj. 2.° Oratio, quæ ad Sanctos mortuos dirigitur, ab illis ignoratur: nam *ex Eccl. 19. Mortui nihil noverunt amplius*: ergo est prorsus inutilis. *Nego ant.* Nam *ex Lucæ 15.* beati gaudent de pœnitentia peccatoris: *ergo* cognoscunt actus liberos hominum viventium, non quidem *naturaliter*, et virtute propria, quo sensu textus allatus debet intelligi; sed *supernaturaliter* per revelationem: omnia enim, quæ ad ipsos pertinent, vident in Deo.

CAPUT VI.

De Adoratione, seu Cultu Christi, ejus Matris, Sanctorum, Imaginum, ac Reliquiarum.

Q. 1. Quid sit adoratio? *R. Testificatio excellentiæ alterius, et propter illam nostræ erga eum submissionis.* Si excellentia sit civilis, cultus est mere civilis. Si sit sacra et supernaturalis, cultus est sacer. Si cultus exhibeatur alicui rei propter excellentiam

Digitized by Google

propriam, dicitur *absolutus*: si propter excellentiam alterius, quem repræsentat, vel ad quem relationem habet, dicitur *respectivus*.

Q. 2. Quotuplex est adoratio sacra? *R.* Triplex propter excellentiæ diversitatem, nimirum *latria*, *hyperdulia*, et *dulia*.... *Latria* soli Deo exhibetur propter infinitam ejus excellentiam; hic cultus latriæ secundum communem usum per nomen *adoratio* exprimitur.... *Hyperdulia* soli B. M. V. exhibetur propter eximiam ejus supra omnes alias creaturas præminentiam.... *Dulia* Sanctis exhibetur propter eorum gratiæ et gloriæ supernaturalem excellentiam.

Q. 3. Utrum Christus, quatenus est hic homo, sit colendus cultu latriæ absoluto? *R. Affirm.* Quia sic sumptus est verus Deus.

Q. 4. Utrum Christus, ut homo, sive humanitas Christi, prout conjuncta Verbo divino, adorari debeat cultu latriæ absoluto? *R. Affirm.* Nam Apostolus *Philipp.* 2. dicit: "Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem... propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur": *ergo* is est cultu latriæ adorandus, quem Deus exaltavit in meritorum mercedem; *atqui* Christus, non ut Deus, sed ut homo fuit exaltatus in meritorum mercedem: *ergo*:::

Digitized by Google

1.° D. Damasc. (*lib. 3. de fide*) ait: "Unus igitur Christus, Deus perfectus, et homo perfectus, quem adoramus cum Patre et Spiritu unica adoratione cum ejus immaculata carne: neque tamen hoc agentes creaturæ servimus: non enim velut nudam carnem adoramus, sed ut divinitati conjunctam:::" 3.° Concilium generale v. *Si quis*, inquit, *duas adorationes introducit, et non una adoratione Verbum incarnatum cum propria ejus carne adorat; anathema sit:::* 4.° Tota Christi persona latriæ cultu adoratur; *atqui* tota Christi persona non est solum personalitas Verbi, sed etiam omnis natura, quæ in illa subsistit: *ergo.*

Obj. Humanitas Christi non est Deus: ergo. *Dist. ant.* Humanitas à Verbo separata, *conc.* cum Verbo hypostatice unita, *nego ant.* Quia sic spectata est natura Verbi, cui conjuncta est in unitate personæ.

Q. 5. Utrum B. Virgo, cæterique Sancti colendi sint aliquo cultu religioso absoluto? *R. Affirm.* Prout definivit concil. Trident. (*Sess. 25.*) contra Lutheranos et Calvinistas. Nam tam licet Sanctos cultu religioso colere ob eorum supernaturales dotes, quam licet cultu civili et politico honorare Principes; atqui, &c. *Honorare decet Sanctos, ut amicos Dei, ut filios et hæredes Dei,* ait D. Damascen. (*lib. 4. de fide, cap. 16.*)

Obj. Apoc. 19. Angelus Joanni, volenti

Digitized by Google

ipsum adorare, dixit: *Vide, ne feceris, conservus enim tuus sum... Deum adora:* ergo. *Nego conseq.* Non enim Angelus hunc cultum recusavit, quod sit illicitus; sed quia, ut docet D. August. sic apparuit, ut potuerit existimari Christus: quare monendus fuit D. Joannes, ne cultum latriæ exhiberet.

Inst. Apost. *Coloss.* 2. ait: *Nemo vos seducat in humilitate et religione Angelorum.* Ubi reprehendit quosdam, qui Angelis cultum exhibebant: ergo. *R.* Reprehendit quosdam, qui Angelis exhibebant cultum *latriæ*, dicentes per eos mundum fuisse conditum, nosque Deo reconciliatos; non autem per Christum, quem Angelis inferiorem esse contendebant.

Q. 6. Utrum aliquis cultus religiosus debeatur sacris Imaginibus? *R. Affirm.* Nam 1.° post Nicænam II. Synodum, in qua damnati sunt Iconoclastæ, conc. Trid. (*Sess.* 25.) damnans Lutheranos et Calvinistas, definit, imagines Christi, Deiparæ Virginis, et aliorum Sanctorum, in Templis præsertim habendas, et retinendas; eisque debitum honorem, et venerationem impertiendam: 2.° Regis imagini, quod Regem repræsentat, cultus civilis exhibetur: *ergo* cultus religiosus exhiberi debet Imaginibus, quæ rem sacram repræsentant: 3.° Traditione constanti certum est, Imagines sanctas in Templis fuisse honorifice collocatas, atque fidelium veneration exposita.

Digitized by Google

Q. 7. Quinam cultus debeatur sacris Imaginibus? An absolutus, an relativus? *R.* Debetur *relativus*, quia honorantur per ordinem ad prototypa: *Imaginis enim honor ad primitivum transit*, ait concil. Nicænum II. Et *qui adorat Imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam.* Et conc. Trid. *Honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant.*

Obj. Conc. Francofordiense, Parisiense, et Libri Carolini, Synodum II. Nicænam damnarunt ob probatum in illa Synodo cultum Imaginum: ergo, &c. *Nego ant.* Neque enim Concilia Francofordiense, et Parisiense, neque Libri Carolini damnarunt Concilium Nicænum II. quia probavit cultum legitimum sacrarum Imaginum, sed quia ex errore facti crediderunt, hoc Concilium definiisse, Imagines Sanctorum cultu latriæ absoluto adorandas esse; itemque, tale decretum à Græcis sine consensu S. Pontificis latum fuisse. Huic errori occasionem dedit confessio fidei Constantini, Constantiæ Cypri Episcopi, à Conc. Nicæno approbata, ac recepta, sed è Græco in Latinum male reddita, his verbis: *Suscipio, et amplector sanctas et venerabiles Imagines secundum servitium adorationis, quod consubstantiali Trinitati omitto.* Cum sic in Græco habeatur: *His consentio, et consors sum, suscipiens, et cum honore amplectens*

Digitized by Google

sanctas et venerandas Imagines: ac latriæ adorationem soli supersubstantiali, ac vivificæ Trinitati defero.

Q. 8. Utrum vera Crux debeat adorari? *R.* Debet adorari cultu latriæ relativo, ut probat, tum definitio Tridentina, *sess.* 25. tum auctoritas Ecclesiæ, quæ veræ Crucis inventionem, et ejusdem exaltationem, festo solemni honorari voluit; in quibus solemnitatibus canit: *O Crux, ave spes unica*; et *tuam Crucem adoramus*, &c. Ratio est, quia vera Crux est primum victoriæ Christi, et nostræ salutis instrumentum.

Obj. Vera Crux Christo ignominiam attulit: ergo. *Dist. ant.* Christo ignominiam attulit, et simul est signum victoriæ Christi, et nostræ salutis, *conc.* et tale signum non est, *nego ant.* Itaque adoramus Crucem, non quatenus ignominiam Christo attulit, sed quatenus signum victoriæ Christi et nostræ salutis.

Q. 9. Utrum Reliquiæ Sanctorum pie ac religiose colendæ sint? *R. Affirm.* Ut probat D. Hieron. *Epist. ad Riparium*, confutans Vigilantium, et definit Conc. Trid. sess. 25. *Affirmantes*, inquit, *Sanctorum Reliquiis venerationem atque honorem non deberi... omnino damnandos, prout jam pridem eos damnavit, et nunc etiam damnat Ecclesia.* Ratio est: quia honor ipsis exhibitus redundat in ipsos Sanctos, quorum sunt pretiosæ exuviæ.

Digitized by Google

CAPUT VII.

De B. V. Maria Matre Christi.

Q. 1. An Maria Mater Christi semper fuerit Virgo? *R.* Fuit Virgo ante partum, in partu, et post partum, ut fides docet contra Cerinthum, Ebionem, Jovinianum, et Helvidium. Ita definitum est in Concil. Constantinop. v. Lateranensi sub Martino v. *Videte miraculum Matris Dominicæ*, inquit D. August. Serm. 23. *Virgo concepit, Virgo parturit, Virgo post partum permansit.*

Obj. 1.° *Matth.* 1. dicitur: *Antequam convenirent*, Maria et Joseph, *inventa est in utero habens de Spiritu sancto:* ergo postea convenerunt. *Nego conseq.* Nam, ut notat D. Hieron. contra Helvidium, per particulam *Antequam*, *Scriptura quid factum non sit, ostendit;* non vero ostendit, quid postea factum sit. Unde addit D. Hieron, *Quod dicitur, antequam convenirent, non sequitur, ut postea convenerint.*

Inst. Ibidem de S. Joseph dicitur: *Et non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum;* atqui particula *donec* significat terminum continentiæ Joseph: ergo. *Nego min.* Nam particula *donec* non ita tempus præcedens connotat, ut futurum etiam non respiciat; sic quia in *Psal. 109.* Deus

Digitized by Google

dicit Filio: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*; quis inde inferat, Christum non amplius futurum à dextris Dei, postquam inimicos ejus posuerit scabellum pedum illius? Ergo particula *donec* duntaxat ostendit, quid ante factum non sit.

Obj. 2.° Christus habuit fratres; hoc enim *Matth.* 12. legitur: *Ecce mater tua, et fratres tui*: ergo. *Nego conseq.* Nam Scriptura appellat fratres, non solum eos, qui ex iisdem patre et matre nati sunt, sed etiam eos qui consanguinei sunt; sic Abraham, *Genes.* 13. dicebat Loth nepoti suo: *Nos fratres sumus.*

Q. 2. Utrum B. Virgo immunis fuerit ab omni peccato actuali, sive mortali, sive veniali? *R. Affirm.* Nam 1.° Concil. Trident. (*Sess. 6. can.* 23.) definit: *Hominem semel justificatum::: non posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia*: 2.° D. August. *lib. de nat. et grat. cap.* 36. ait: *Excepta sancta Virgine Maria, de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem*: 3.° et D. Thom. (*opusc. 60. art.* 30.) dicit: *Maria non fuisset idonea Mater Christi, si aliquando peccasset.* Et hic post multa illius veritatis redditas rationes in Scriptura

Digitized by Google

fundatas, sic concludit: *Et ideo simpliciter fatendum est, quod B. Virgo nullum peccatum actuale commisit, nec mortale, nec veniale, ut sic impleatur, quod dicitur, Cantic. 4.* Tota pulchra es amica mea.

Obj. cum Luthero: Maria admisit peccatum infidelitatis, quando dixit Angelo: *Quomodo fiet istud?* et peccatum impatientiæ, quando dixit: *Fili, quid fecisti nobis sic? Ad* 1. Respondet D. Bernardus, sic (*homil.* 4. Super Missus est): »Non dubitavit de facto, sed modum requirit et ordinem: neque enim quærit, an fiet istud, sed quomodo.» *Ad* 2. *nego ant.* Præfata enim B. Mariæ verba non sunt impatientiæ et reprehensionis indicia, sed doloris de absentia amantissimi filii sui.

Q. 3. Unde habuit impeccabilitatem B. Virgo Maria? *R.* Ex confirmatione in gratia; unde ejus impeccabilitas fuit moralis, non physica, quæ soli comprehensori competit, cum oriatur ex amore Dei necessario, et ejusdem visione intuitiva.

Digitized by Google

TRACTATUS VI.

De Gratia Christi.

Q. 1. Quid sit gratia Christi? *R.* Donum supernaturale gratis à Deo per merita Christi collatum, quod de se tendit ad actum, et finem supernaturalem. Dicitur 1.° *Donum supernaturale*, ut distinguatur à donis naturalib , ut sunt creatio, conservatio, &c. quæ sunt beneficia gratuita, sed naturalia: 2.° *Gratis à Deo collatum*, ut ostendatur, gratiam non rependi præcedentibus meritis, *alioquin gratia jam non est gratia*, ait Apost. *Rom.* 11. 3.° *Per merita Christi*, ut distinguatur à gratia status innocentiæ, quæ independenter à meritis Christi fuit concessa: 4.° *Quod ex se tendit ad actum, et finem supernaturalem;* quia per gratiam creatura rationalis adjuvatur ad operationes, quæ naturales illius vires superant, quæque ad æternam illius salutem ordinantur.

Q. 2. Quotuplex sit gratia Christi? *R.* Duplex puta *externa*, quæ hominem exterius tantum afficit, ut sunt prædicatio Evangelii, lex, miracula, &c. et *interna*, quæ hominem interius afficit, sive ipsi insit per modum habitus, sive actus transeuntis. Gratia *interna*, alia est *gratis data*, quæ primario et per se conceditur alicui propter aliorum salutem, ut sunt dona prophetiæ, mi-

Digitized by Google

raculorum, linguarum, &c. Alia *gratum faciens*, quæ ad propriam salutem illius, cui confertur, primario et per se ordinatur.

Gratia *gratum faciens*, alia est *actualis*, quæ est auxilium quoddam internum, intellectui aut voluntati à Deo transeunter impressum, quo potentiæ illæ, de se insufficientes adjuvantur ad eliciendos actus supernaturales, quibus justitia, vel justitiæ incrementum obtinetur. Hinc hominem Deo gratum reddit efficienter. Alia est *habitualis*, estque qualitas homini permanenter inhærens, quæ ipsum formaliter reddit Deo gratum, et sanctum. De utraque illa gratia, actuali, et habituali hic agemus duplici dissertatione.

DISSERTATIO I.

De Gratia actuali.

Gratiæ interioris actualis 1.° necessitatem: 2.° naturam, et divisionem: 3.° distributionem inquiremus, triplici capite.

CAPUT I.

De Necessitate gratiæ actualis.

Q. 1. Quinam erraverint circa gratiæ actualis interioris necessitatem? *R.* 1.° *Pelagiani*,

Digitized by Google

qui negarunt tum necessitatem, tum gratuitatem gratiæ actualis interioris ad quodlibet opus salutare peragendum: 2.° *Semipelagiani*, qui docuerunt, 1. initium fidei esse à nobis: 2. hominem per nisum voluntatis mereri gratiam ad opus salutare ulterius perficiendum, et salutem æternam consequendam; ex quo sequebatur, gratiam non prævenire voluntatem, sed ipsam prævenîri à voluntate: 3. Perseverantiam usque in finem à nostro libero arbitrio pendere, nec esse donum Dei speciale: Erravere 3.° *Lutherus*, et *Calvinus*, qui liberi arbitrii vires ita extenuant, ut nihil omnino boni moralis per solas naturæ vires fieri posse contendant; eaque opera, quæ per solas naturæ vires fiunt; esse vitiosa et peccata: *tandemque Baius*, et *Jansenius*, qui docent, 1. Gratiam habitualem ita necessariam esse ad quodlibet opus bonum morale, ut omnia peccatorum opera sint peccata: 2. Omnes infidelium virtutes esse vera vitia, et omnia eorum opera esse peccata.

Q. 2. Utrum homo lapsus possit sine gratia interiori præveniente, efficere aliquod opus salutare? *R. Negat.* Prout de fide sæpius definitum est contra Pelagianos in conciliis Diospolitano, Carthaginensi III. et Arausicano II. constatque ex scriptura; ait enim ipsemet Christus, *Joan. 6.* „Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit

Digitized by Google

me, traxerit eum.» *Et c. 15.* »Sine me nihil potestis facere.» *Apost. 2. Cor. 3.* ait: »Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est...» Ratio est, quia media debent esse proportionata fini, et ejusdem cum illo ordinis; *atqui* opera salutaria sunt media ad salutem æternam, quæ est supernaturalis: *ergo* debent esse supernaturalia; *atqui* non possunt esse talia, nisi prævenian-tur, et excitentur gratiæ supernaturalis auxilio: *ergo*, &c.

Obj. 1.° Mysterio credibiliter proposito potest homo ratione utens assentiri, et credere absque gratiæ interioris auxilio: *ergo* fides, quæ est opus salutare, potest haberi absque gratia actuali. *Dist. ant.* Fide humana, et ad vitam æternam sterili, *conc.* fide supernaturali et salutari, *nego ant.* Nam contrariatur Concil. Trident. *sess. 6.* definienti: »Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut opportet, ut ei gratia justificationis conferatur; anathema sit.

Inst. Qui mysterio credibiliter proposito assentitur, credit propter Dei revelantis auctoritatem: *ergo* ejus fides est supernaturalis: habet enim objectum supernaturale. *Nego conseq.* Nam ut actus sit intrinsece supernaturalis, non sufficit, ut circa objectum super-

Digitized by Google

naturale versetur; sed insuper requiritur, ut procedat à principio supernaturali; facultas enim non potest ultra vires proprias tendere, nisi per formam aliquam superadditam vegetetur, et corroboretur.

Obj. 2.° Homo justus habituali gratia donatus potest absque gratia actuali voluntatem præveniente, facere aliquod opus salutare: ergo, &c. *Nego ant.* cum D. August. qui (*lib. de nat. et grat.*) ait: *Sicut oculus corporis, etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere; sic homo perfectissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere.* Ita etiam definit Concil. Trid. (*sess. 6. cap. 16.*)

Q. 3. Utrum homo lapsus sine gratia præveniente possit incipere aliquod opus salutare? *R. Negat.* Ut definit Concil. Arausicanum II. can. 5. ubi legitur: »Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum... non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus sancti... sed naturaliter nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus adversarius approbatur.« Ergo homo per solas naturæ vires non potest se præparare ad gratiam, ut definivit idem Concilium, *can.* 7. Et ratio est, quia actus naturalis nullam habet proportionem ad formam supernaturalem, qualis est gratia; eam enim non exigit: *ergo*, &c.

Digitized by Google

Obj. 1.° *Prov. 16.* dicitur: *Hominis est præparare animam, et Domini gubernare linguam:* ergo hominis est incipere opus salutare, cujus intuitu Deus præparat, et confert gratiam. *Dist. conseq.* Hominis est incipere opus salutare ope gratiæ prævenientis, *conc.* per solas naturæ vires, *nego conseq.* Sensus ergo textus est, hominis esse animam ope gratiæ prævenientis præparare ad ulteriorem gratiam specialiorem, quæ necessaria est, ut pie cogitata, recte et fructuose eloquatur.

Obj. 2.° Zachariæ 1. Deus dicit: *Convertimini ad me, et convertar ad vos*: ergo homo debet incipere negotium salutis. *Dist. conseq.* Homo debet incipere præventus, et excitatus à gratia divina, *conc.* per vires naturales, *nego conseq.* Conversio enim hominis ad Deum est fructus gratiæ prævenientis; et conversio Dei ad hominem designat gratiæ subsequentis collationem. *Cum dicitur*, convertimini ad me, et ego convertar ad vos, *libertatis nostræ admonemur*, ait Concil. Trid. (sess. 6. cap. 5.) *Cum respondemus*, converte nos, Domine, ad te, et convertemur, *Dei gratia nos præveniri confitemur.*

Obj. 3.° Axioma Theologicum: *Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam*: ergo homo per solas naturæ vires potest se ad gratiam præparare. *Dist. ant.* Facien-

Digitized by Google

ti, quod in se est, ex gratiæ viribus, *conc.* ex naturæ viribus, *nego ant.* Axioma 1.° sensu intellectum, est D. Thom. (1. 2. *q.* 109. *à* 6. *ad* 2.) dicentis: *Nihil homo potest facere, nisi à Deo moveatur, secundum illud Joan. 15.* Sine me nihil potestis facere. *Et ideo cum dicitur homo facere, quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis, secundum quod est motus à Deo*: Sed 2.° sensu intellectum, damnatum est à Clero Gallicano, an. 1700. *tamquam instaurans Semipelagianismum, mutatis tantum vocibus.*

Q. 4. Utrum justus in præsenti statu indigeat speciali gratiæ auxilio ad reipsa perseverandum usque in finem vitæ? *R. Affirm.* Ita enim definitum est à Conciliis Arausicano 11. et Trid. sess. 6. can. 22. ubi hoc dicitur: *Si quis dixerit, justificatum, vel sine speciali auxilio Dei in acceptâ justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.* Ratio est, quia donum perseverantiæ hominem reddit in bono ita immobilem, ut finem, nempe mortem in Christo, indeclinabiliter assequatur; *atqui* homo justus cum auxiliis gratiæ ordinariis non potest habere illam immobilitatem: *ergo* gratia perseverantiæ est donum speciale ab illis auxiliis distinctum, quod ideo à Concil. Trid. (*can. 16.*) vocatur *magnum perseverantiæ donum.*

Digitized by Google

Obj. Ut quis in accepta justitia usque in finem perseveret, sufficit ut ultimum impleat præceptum; *atqui* illud implere potest cum auxilio gratiæ ordinario: ergo. *Dist. min.* Cum auxilio ordinario implere potest ultimum præceptum, quatenus præcise præceptum est, *conc.* quatenus est ultimum, *neg. min.* Ultimum siquidem non est, nisi quatenus mors contingit post ejus fidelem adimpletionem: illud autem singulari Dei beneficio tribui necesse est, cum in statu gratiæ justificantis ex hac vita eripi, speciale sit donum Dei.

Q. 5. Quid sit perseverantiæ donum, et in quo præcise situm sit? *R.* Perseverantiæ donum definitur à D. August. (lib. de dono persev. cap. 1.) *Donum Dei, quo usque in finem* (vitæ) *perseveratur in Christo.* Magnum perseverantiæ donum situm est in duobus: 1.° In interno gratiæ actualis auxilio, quo homo justus, vel à peccando retrahitur, vel à suis peccatis, propter quæ à Deo deseri merebatur, cito resipiscit, ac tandem in accepta justitia perseverat; 2.° In singulari Dei protectione externa, qua Deus ab homine justo graves tentationes, peccandi occasiones, et alia salutis obstacula removet, ac tandem ejus mortem cum gratia sanctificante conjungit.

Q. 6. Utrum homo lapsus possit absque gratia aliquod opus bonum morale naturalis

Digitized by Google

ordinis velle, et facere? Per opus bonum morale intelligimus opus bonum ex objecto, fine, et aliis circumstantiis; seu opus, quod ex parte objecti bonum est, et ex parte operantis refertur ad finem honestum, sic datio eleemosynæ ad sublevandum pauperem; his animadversis. *R. Affirm.* Nam *Rom.* 2. dicitur: »Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt; ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis:» Ergo gentiles aliquod opus bonum naturalis ordinis possunt facere *naturaliter*, id est, sine gratia, sine fide, ut interpretantur Patres. Ratio est, quia per peccatum Adami *liberum arbitrium minime extinctum est, viribus licet attenuatum, et inclinatum*, prout docet Conc. Trid. (*Sess. 6. cap. 1.*): Ergo potest homo solis liberi arbitrii viribus aliqua opera moraliter bona propter finem honestum elicere: v. g. potest gentilis naturali pietate honorare parentes, naturali commiseratione sublevare proximi miseriam: quia id honestum est, et rationi naturali conforme.

Hinc merito SS. Pontifices, Pius v. Gregor. XIII. et Urban. VIII. has propositiones Baianas proscripserunt: 25. »Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia::: 37. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod

Digitized by Google

ex naturæ viribus ortum ducit, agnoscit.» Item Clemens XI. has Quesnallianas damnavit: 39. »Voluntas quam gratia non prævenit::: est capax omnis mali, et incapax ad omne bonum::: 40. Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.»

Obj. 1.° Apost. *Hebr.* 11. dicit: *Sine fide impossibile est placere Deo:* ergo. *Dist. ant.* Impossibile est placere Deo in ordine ad vitam æternam, *conc.* in ordine ad honestatem moralem naturalis ordinis, *nego ant.* Itaque quando Scriptura et Patres sic loquuntur, intelligendi sunt de opere salutari; non autem de opere sterili in ordine ad vitam æternam, qualia sunt opera bona facta absque gratia.

Obj. 2. *Matth.* 7. dicitur: *Non potest::: arbor mala bonos fructus facere*; atqui infidelis est arbor mala: ergo. *Dist. maj.* Quando agit ex sua malitia, *conc.* aliter, *nego maj.* Porro infidelis non semper ex sua malitia et infidelitate agit, sed quandoque ex dictamine rectæ rationis.

Inst. D. August. (*lib. de spiritu et litt. cap. 14.*) ait: *Non est fructus bonus, qui de charitatis radice non surgit*; Atqui nullum opus infidelis de charitatis radice surgit: *ergo. R.* D. August. loqui de opere bono salutari; non autem de morali, quod sic præcise non est salutare, cum sit sterile ad vi-

Digitized by Google

tam æternam. Sese explicat (*lib. 4. contra Julian. cap. 5.*) dicens: »Scito, nos illud bonum hominum dicere... per quod solum homo potest ad æternum Dei donum regnumque perduci.» Unde ejus testimonia nihil habent commune cum præsenti nostra quæstione.

Obj. 3.° Concil. Arausicanum *can.* 22. ait: *Nemo habet de suo, nisi mendacium, et peccatum*: ergo. *Nego conseq.* Sensus enim canonis est, hominem sibi soli sufficere ad peccandum; eum vero ad bonum operandum indigere auxilio Dei, naturali quidem ad bonum morale, et supernaturali ad bonum salutare. Ex his *sequitur* 1.° Aliqua legis naturalis præcepta faciliora posse absque gratia observari quantum ad substantiam: non omne bonum morale est præceptum ligis naturalis.

Sequitur 2.° Hominem lapsum posse absque gratia Deum ut auctorem naturæ amare amore imperfecto, id est, amore, qui non sit super omnia: nam voluntas amare potest naturaliter, quod intellectus naturaliter potest cognoscere; *atqui* intellectus naturaliter potest cognoscere, Deum esse tum summum bonum propter se amabile, tum summum nostrum bonum: *ergo*, &c. Unde Apost. *Rom. 1.* dicit, gentes esse *inexcusabiles, quia, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut. gra-*

Digitized by Google

tias egerunt: ergo Deum amare potuerunt.

Hinc SS. Pontifices merito hanc Baii propositionem damnarunt: *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus diligitur ut auctor naturæ; et gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia.* Et SS. Patres, qui videntur contrarii, loquuntur de amore supernaturali, perfecto, et conducente ad vitam æternam.

Sequitur 3.° Hominem lapsum posse aliquando absque supernaturalis gratiæ auxilio leves quasdam vincere tentationes victoria sterili. Quia quando facultas potest aliquid naturaliter, id etiam potest cum levibus impedimentis; *atqui* homo lapsus aliquod opus bonum ordinis naturalis potest peragere absque gratia: *ergo*, &c. Hinc merito damnata est hæc Baii prop. *Fures sunt et latrones, qui dicunt... ulli tentationi sine gratiæ illius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non incidat, aut ab ea non superetur.*

Obj. Scriptura, Concilia, et SS. Patres indefinite docent, victoriam tentationum esse à Deo: *ergo* leves tentationes non possunt vinci, nisi per gratiam Dei. *Nego cons.* Non enim ideo soli Deo adscribunt victoriam tentationum indefinite, quod nulla levior tentatio possit vinci absque gratia, sed 1.° quia Scriptura semper, et SS. Patres ut plurimum loquuntur de victoria meritoria, quæ absque

Digitized by Google

gratiæ auxilio haberi non potest: 2.° quia loquuntur de universo tentationum agmine, quod non potest vinci absque speciali Dei auxilio: 3.° quia SS. PP. Pelagianos impugnabant, qui cum indistincte victoriam tentationum naturæ viribus tribuerunt, efficacius refelli non potuerunt, quam si illarum indistincte victoriam ad gratiam Dei referrent. Nunc itaque

Q. 7. Utrum homo lapsus absque gratiæ divinæ auxilio possit omnia legis naturalis præcepta quoad substantiam operis servare? *R.* Non potest potentia morali: nam Apost. *Rom.* 7. ait: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ,* (id est, legi naturali) *et captivitatem me sub lege peccati, quæ est in membris meis.* Hinc exclamat: *Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et ipsemet sibi respondet: *Gratia Dei per Jesum Christum:* ergo natura humana ita per peccatum infirmata est, ut hoc præceptum: *Non concupisces* non possit implere, nisi per gratiam Dei, qua vulnus inflictum sanetur.

Obj. Rom. 2. dicitur: *Gentes, quæ legem non habent, ea, quæ legis sunt, faciunt:* ergo homo lapsus absque gratia potest observare omnia legis naturalis præcepta. *Nego conseq.* Textus enim non de omnibus præceptis est intelligendus, sed tantum de aliquibus, iisque facilioribus, quæ quandoque

Digitized by Google

et aliquandiu à gentibus naturaliter possunt observari, quando nimirum graves non adsunt occasiones ab illa observatione removentes.

Inst. Homo lapsus habet potentiam moralem ad omnia præcepta legis naturalis distributive: *ergo* et ad omnia collective. *R.* 1.° *Dist. ant.* Habet potentiam moralem ad omnia distributive præcepta, quæ sunt facilia, quale est præceptum honorandi parentes, *conc.* quæ sunt ardua, sive ex objecto, sive ex tentatione, et aliis circumstantiis, *nego ant.* Sapiens enim *cap.* 8. de præcepto continentiæ ait: *Scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det. R.* 2.° *Nego cons.* Collectio enim difficultatem habet, quam non habent singula.

Q. 8. Utrum homo lapsus possit absque gratia Deum ut auctorem naturæ amare amore perfecto, et super omnia? *R. Negat.* Nam amor Dei super omnia perfectus et efficax, omnium Dei præceptorum executionem importat, ita ut voluntas parata sit absolute et efficaciter Deo in omnibus placere, omniaque ei displicentia vitare; *atqui* homo lapsus non potest sine gratia omnia Dei præcepta etiam naturalia exequi: *ergo.*

Obj. Amor Dei super omnia perfectus lege naturali præcipitur: *ergo* solis naturæ viribus potest elici. *Dist. conséq.* Potest elici à natura sana, *conc.* à natura per peccatum vitiata, *nego conseq.* Licet enim præceptum

Digitized by Google

naturale amoris Dei super omnia non superet vires naturæ integræ; superat tamen vires naturæ vitiatæ: *ergo* non potest impleri absque *auxilio gratiæ naturam sanantis*, ait D. Thom. (1. 2. *q.* 109. *a.* 3.)

Inst. Homo lapsus potest naturaliter cognoscere, Deum, etiam ut auctorem naturæ, esse super omnia amabilem: *ergo* et naturaliter amare super omnia. *Nego conseq.* Disparitas est, quod ut ait D. Thom. ad 2. *Natura humana magis est corrupta per peccatum, quantum ad appetitum boni, quam quantum ad cognitionem veri*, eo quod peccatum voluntate commissum est, et ideo amori Dei perfecto, non cognitioni Dei super omnia amabilis, obstant infirmitas, et corruptio naturæ.

Q. 9. Utrum homo lapsus possit absque auxilio gratiæ gravem tentationem vincere victoria sterili? *R. Negat.* Nam Scriptura significat, opus esse gratiæ auxilio ad superandas tentationes; dicitur enim *Psal. 17. In te eripiar à tentatione.* Et *Matth. 26. Vigilate, et orate, ne intretis in tentationem.* Unde hic Pelagii articulus: *Victoria nostra non est ex Dei adjutorio, sed ex libero arbitrio*, damnatus est in conc. Diospolitano, *cap.* 11.

Obj. Homo lapsus potest solis naturæ viribus vincere tentationem mortis ex motivo pravo, v. g. ex vana gloria: *ergo* et ex mo-

Digitized by Google

tivo honesto. *Nego conseq.* Disparitas est, quod homo lapsus ab objectis delectabilibus, et pravis multum afficiatur, et ideo vincit unam tentationem per aliam fortiorem, qualis est pertinacia, et inanis gloriæ cupiditas; è contra motivo honestatis parum afficitur, et sic illud motivum totam relinquit difficultatem, non tollit, neque minuit.

Q. 10. Quænam gratia interior requiratur ad observanda omnia legis naturalis præcepta, et graves tentationes superandas? *R.* Requiritur 1.° gratia habitualis, quæ sanet naturam: 2.° gratia actualis; quia licet gratia habitualis sanet naturam; tamen nec intellectus ignorantiam, nec voluntatis malitiam, nec appetitus sensitivi rebellionem tollit: *ergo* ad hoc requiritur gratia actualis.

Q. 11. Utrum gratia, quæ requiritur ad observanda præcepta naturalia propter solam honestatem moralem, debeat esse supernaturalis? *R.* Debet esse supernaturalis ratione principii, quia est homini indebita; non vero ratione objecti, quia hominem non dirigit ad finem supernaturalem.

CAPUT II.

De Natura, et divisione gratiæ actualis.

Q. 1. Quotuplex sit gratia actualis? *R.* Duplex, excitans, nempe, et adjuvans:

Digitized by Google

Gratia *excitans* est supernaturalis, et indeliberatus intellectus et voluntatis motus, quo Deus nos veluti torpentes, et somno sopitos, ad bonum supernaturale movet, et excitat, et à malo retrahit::: Vocatur etiam *operans*, quia Deus pium illum motum operatur in nobis sine nobis libere consentientibus::: Et *præveniens*, quia prævenit voluntatem, causando in ea boni motus initium. Sed gratia *adjuvans* est concursus supernaturalis Dei, quo nobiscum per gratiam excitantem illustratis ac motis, concurrit ad omnes, et singulos actus supernaturales et liberos... vocatur etiam *cooperans*, quia bonam actionem nobiscum operatur; et *subsequens*, quia subsequitur, et executioni applicat bonum motum jam in voluntate per gratiam excitantem inchoatum. 2.° Gratia *excitans* dividitur in sufficientem et efficacem, de quibus duplici paragrapho agemus.

§. I.

De gratia sufficienti.

Nota 1. Gratia sufficiens sumi potest, 1. *generice*, prout convenit etiam gratiæ efficaci, et est, *ea quæ voluntati subministrat vires pares et proportionatas effectui bono, ad quem proxime movet, et quem Deus ultimate intendit, producendo.. Specifice*, quate-

Digitized by Google

nus opponitur gratiæ efficaci, diciturque *mere* sufficiens; et hæc definitur: *Ea quæ licet vires pares et proportionatas subministret ad ponendum effectum ad quem datur, et quem Deus ultimate intendit, illum tamen non sortitur ex sola culpa voluntatis, nolentis gratiæ consentire.*

2.° Alia est *proxime sufficiens*, quæ dat immediatam potentiam ad executionem operis à Deo ultimate intenti; v. g. ad executionem talis præcepti. Hæc vocatur *gratia actionis*::: Alia est *remote sufficiens*, quæ non dat equidem immediatam potentiam exequendi operis à Deo ultimate intenti; sed dat immediatam potentiam ad implorandum per orationem uberius Dei auxilium, non conferendum à Deo, nisi prius oraverit homo; et certo conferendum, si reipsa oraverit, gratiæ primæ obsequens. Hæc vocatur *gratia orationis.*

Q. 1. Quinam rejecerunt gratiam sufficientem? *R.* 1.° *Calvinus*, *Lutherus*, et *Baius*, qui volunt sic gratiam determinare voluntatem ad actum, ut nullum libertati locum relinquat: *ergo*, secundum eos, omnis gratia est necessitans et efficax: 2.° *Jansenius*, (quem sequitur *Quesnellus*) docet, gratiam ita invicte ac insuperabiliter voluntatem humanam determinare ad unum, ut semper consensum voluntatis exprimat.

Q. 2. Quotuplicem admittunt gratiam

Digitized by Google

Jansenïani? *R.* Duplicem, *primam*, quæ plenum atque perfectum effectum assequitur, et ad id à Deo datur, hancque vocant efficacem et victricem relative: *Secundam*, quæ efficit quandam velleitatem et complacentiam boni operis inefficacem, et ad id duntaxat à Deo datur, hancque sufficientem appellare non recusant hodierni Jansenïani, asseruntque eam conferre completam, perfectam, et expeditam ad præceptum observandum potentiam. Verum (quod maxime notandum) nomine *potentiæ* intelligunt potentiam absolutam duntaxat, et abstractam à præsentibus subjecti circumstantiis et dispositionibus; non vero relativam, et ad illas circumstantias comparatam. Deus enim, *inquiunt*, voluntate antecedente, et à præsentibus subjecti circumstantiis abstrahente, vult per hanc parvam gratiam, opus perfectum impleri; verum, consideratis illis circumstantiis, non vult voluntate absoluta et consequente, opus perfectum per illam impleri, sed aliquod duntaxat imperfectum, ac inchoatum boni operis desiderium. Ex quo

Sequitur 1.° Gratiam parvam jansenianam esse efficacem, quia, juxta illos, omnem obtinet effectum, propter quem in talibus circumstantiis à Deo datur. *Sequitur* 2.° Illam gratiam esse insufficientem, quia, propter defectum virium est impar et improportionata

Digitized by Google

ad oppositam concupiscentiæ delectationem superandam, ut ipsemet asserit Jansenius (*lib. 2. de gratia, cap. 17.*) dicens: *eam nullo modo sufficere, ut homo Dei mandatum operetur, ut Deum super omnia diligat*, &c. *Licet aliquid faciat, nempe, velleitates quasdam exsitet.*

Q. 3. Utrum detur in præsenti statu naturæ lapsæ gratia vere relative sufficiens, id est, quæ voluntati ad opus bonum perficiendum conferat potentiam completam, expeditam, et relativam ad præsentes subjecti circumstantias, cui tamen dissensu libero resistat humana voluntas?

R. Affirm. Nam, *Prov. 1.* Deus dicit: *Vocavi, et renuistis, extendi manum meam, et non fuit, qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis.* Ubi vocatio, extensio manuum, consilium Dei, etiam intus pulsantis, gratiam vere et relative sufficientem indicat, aliàs non esset justa Dei increpatio et objurgatio; *atqui* illi gratiæ dissensu libero resistit voluntas humana, *renuistis, despexistis*, &c. ergo, &c. *Matth. 11.* Christus exprobrat Chorazaitis, quod non egissent pœnitentiam ad aspectum miraculorum à se patratorum: *Væ tibi, Chorazaim! væ tibi Bethsaida!* &c. Ergo revera cum gratia ipsis collata pœnitentiam agere potuerunt, non tantum remote et absolute, sed proxime et relative: *ergo*, &c.

Digitized by Google

Concil. Senonense (*part. 1. in decretis fidei, c. 15.*) dicit: *Eo extendimus* (liberum arbitrium) *ut voluntas humana, misericordiæ prævenientis auxilio suffulta, et interiori quodam et occulto secretiori afflatu contacta, sese convertat ad Deum.* Postea addit: *Non tale est hujusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit: quoties enim Dominus voluit congregare filios Jerusalem::: et noluerunt, &c.* Hinc merito damnata est, ut hæretica, hæc secunda Jansenii propositio: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.*

Obj. 1.° *Rom. 9.* dicitur: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei:* ergo non est in potestate vocati, vocationi obtemperare, vel non obtemperare. *Dist. ant.* Non est volentis, neque currentis, per solas naturæ vires, *cqnc.* per gratiam, *subdist.* non est volentis, primario et principaliter, *conc.* secundario, quasi homo nihil divinæ gratiæ cooperaretur, *nego ant.* Hoc unum vult Apostolus, bonum opus magis esse à Deo per gratiam, quam ab homine, qui absque gratia nec conari, nec consentire potest. Unde ait Apostolus: *Non ego, sed gratia Dei mecum*, id est, ait D. August. (*lib. de gratia cap. 5.*) *Non solus, sed gratia Dei mecum; ac per hoc, nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo.*

Digitized by Google

Inst. Nemo potest se discernere in negotio salutis, juxta illud, *1. Cor. 4. Quis te discernit? quid habes, quod non accepisti?* Atqui si duobus hominibus detur gratia sufficiens, cui unus optemperet, alter reluctetur; qui obtemperaverit, se discernit ab eo, qui reluctatur: *ergo* non datur talis gratia. *Dist. maj.* Nemo potest se discernere per proprias vires, *conc.* quatenus per gratiam motus et adjutus, *nego maj.* Neque enim qui sic per gratiam, qua excitatur et juvatur, se discernit, contradicit Apostolo prohibenti solum, ne homo glorietur de bono opere, quasi principium illius efficiens non acceperit à Deo. Ità D. Aug. (*lib. de spiritu et litt. cap. 33.*)

Obj. 2.° Gratia sufficiens, cui voluntas resistat, est gratia possibilitatis Pelagiana, quam confutavit D. August. et damnavit Ecclesia: *ergo*, &c. *Nego ant.* Nam Pelagius per gratiam possibilitatis intelligebat liberum arbitrium, quod docebat per se solum valere ad quodlibet opus salutare simpliciter: equidem libero arbitrio adjunxit gratiam, non quidem ad posse simpliciter, sed tantum ad facilius posse; quæ gratia nihil aliud erat secundum ipsum, quam gratia exterior, lex nimirum, doctrina, et exempla Christi; in quo, toto cœlo, differt à nobis Catholicis.

Inst. 1.° Pelagius admittebat posse bene agere esse à Deo: ergo. *Dist. ant.* Esse à

Digitized by Google

Deo, ut auctore naturæ, *conc.* ut subministrante gratiam interiorem, naturæ superadditam, *nego ant.* Itaque Pelagius naturam et liberum arbitrium vocabat gratiam possibilitatis; legem vero et doctrinam vocabat adjutorium possibilitatis naturalis.

Inst. 2.° Pelagius deinceps possibilitati naturali subjunxit adjutorium Dei actuale: ergo. *Dist. ant.* Subjunxit auxilium Dei actuale, quod esset lex, vel doctrina, vel revelatio, vel exemplum, *conc.* quod esset subministratio virtutis interioris, *nego ant.* Nam *in his omnibus non recessit à commendatione legis atque doctrinæ*, ait D. Aug. (*lib. de grat. cap.* 7.)

§. II.

De Gratia efficaci.

Q. 1. Utrum detur gratia efficax? *R.* De fide est dari gratiam efficacem, qua Deus voluntates nostras certo et infallibiliter flectere potest quocumque voluerit; dicitur enim *Prov.* 21. *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud.*

Q. 2. Quotuplici modo sumitur gratia efficax, prout à gratia mere sufficienti distinguitur? *R.* Sumitur in actu primo et secundo. Gratia efficax *in actu* 1. stricte est virtus gratiæ prævenientis, ut certo et infalli-

Digitized by Google

biliter illatura effectum, seu consensum voluntatis. De hac sola hic agitur. Gratiæ efficacia *in actu 2.* est eadem virtus gratiæ ut conjuncta cum effectu, qui illius vi elicitus est. Hæc includit gratiam adjuvantem, et coopèrationem voluntatis à gratia motæ.

Q. 3. In quo consistat erroneum systema Calvini circa efficaciam gratiæ? *R.* Consistit in hoc, quod docuerit, gratiam esse vere ac physice necessitantem, ita ut non possit ipsi voluntas humana refragari. Quod systema damnavit conc. Trid. (sess. 6. can. 4.)

CAPUT III.

De Distributione Gratiæ sufficientis.

Q. 1. Utrum omnibus justis, urgente præcepto, detur à Deo gratia vere et relative sufficiens, ad servanda omnia præcepta? *R. Affirm.* Nam 1.° *Cor.* 10. de omnibus justis dicitur: *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum*, id est, auxilium, *ut possitis sustinere*: ergo.

2.° Concil. Trid. definit: *Si quis dixerit, Dei præcepta homini, etiam justificato et sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia; anathema sit.* Cujus definitionis rationem reddit, *cap.* 11. his D. August. verbis: *Deus impossibilia non jubet, sed ju-*

Digitized by Google

bendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis. Quibus verbis aperte significatur, hominem habere gratiam, vel proxime, vel remote sufficientem ad præcepta implenda.

Hinc jure merito damnata est, ut hæretica, hæc prop. Jansenii: »Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.«

Obj. D. Petrus erat justus, quando negavit Christum; *atqui* tunc ipsi defuit gratia vere et relative sufficiens, ut posset Christum non negare: ergo, &c. *R.* 1.° *nego maj.* Nam quando D. Petrus Christum exterius negavit, jam interno præsumptionis peccato exciderat à sua justitia, ut docet D. August. (*Serm.* 285.) *Interrogatus* (Petrus) *in corde suo præsumpserat se pro eo etiam moriturum, viribus suis hoc tribuerat.*

R. 2.° *Dist. min.* Ipsi defuit gratia proxime sufficiens, *conc.* remote sufficiens, *nego min.* Habebat enim gratiam orationis et humilitatis, qua si bene usus fuisset, obtinuisset gratiam proxime sufficientem, per quam tentationi restitisset, nec Christum negasset. Ita D. August. *lib. de corrept. et grat. c. 9.* *Dixerat in abundantia sua:* Animam meam pro te ponam: *Sibi, festinando, tribuens, quod ei fuerat postea à Domino largiendum.*

Digitized by Google

Q. 2. Utrum fidelibus peccatoribus non obduratis detur gratia vere sufficiens, qua possint peccata vitare, et à peccatis resipiscere? *R.* Datur pro loco et tempore; nam 1.° Deus vult vere et sincere, ut peccatores, saltem non obdurati, non pereant, sed convertantur; nam *Ezech.* 33. legitur: *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur à via sua, et vivat;* atqui non possunt converti absque gratia sufficienti: *ergo*, &c. 2.° D. August. (*lib. 1. retract. cap.* 22.) ait: *In potestate hominis est mutare voluntatem in melius; sed ea potestas nulla est, nisi à Deo detur:* ergo.

Q. 3. Utrum peccatoribus induratis detur pro loco et tempore gratia saltem remote sufficiens? *R.* Datur: nam 1.° S. Stephanus *Act.* 7. Judæos obduratos objurgat, quod Spiritui sancto, eos ad conversionem moventi, semper resisterent: *Dura cervice, et incircumcisis cordibus, et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis.* 2.° D. Aug. (in *Psal.* 6.) ait: *Ea est cæcitas mentis: in eam quisquis datus fuerit, ab interiori luce secluditur, sed nondum penitus, cum in hac vita est:* 3.° S. Prosper. in respons. ad object. Vincentianas, ait: "Nemini Deus correptionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat:" 4.° Demum indurati peccant imputabiliter: *ergo* habent gratiam, saltem remote sufficientem.

Digitized by Google

Obj. 1.° Joan. 12. de induratis Judæis dicitur: "Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: excæcavit oculos eorum, ut non videant oculis, et intelligant corde, et sanem eos:" ergo. *Dist. ant.* Non poterant credere, impotentia consequente et voluntaria, *conc.* antecedente et involuntaria, orta ex substractione omnis omnino gratiæ, *nego ant.* Nam, *quare non poterant*, credere, ait D.r August. (Tract. 54. in Joan.) *Si à me quæratur, cito respondeo, quia nolebant: malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, et per Prophetam prænuntiavit.*

Obj. 2.° D. Aug. (*lib. 1. ad simplic. q. 2.*) dicit: *Obduratio Dei est nolle misereri*; atqui illi, cujus non vult Deus misereri, non confert gratiam: ergo. *Dist. min.* Non confert gratiam specialem, qua *Cujus misereretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat*, ut ait D. August. ibidem, *conc.* nullam confert gratiam, *nego.* Contrarium enim supra asseruit, in Psal. 6. *Inst.* D. August. *Epist. 107.* ad Vitalem, ait: *Scimus, gratiam non omnibus hominibus dari*: ergo agnovit, gratiam sufficientem non omnibus concedi. *Nego conseq.* Neque enim ibi S. Doctor loquitur de gratia actuali, sed de gratia justificationis per baptismum acceptæ.

Q. 4. Utrum infidelibus positivis, *iis ni-*

Digitized by Google

mirum, qui Evangelium audire recusarunt, dentur pro loco et tempore gratiæ sufficientes, quibus remote saltem, et mediate ad fidem pervenire possint. *R. Affirm.* Nam 1. Christus *Joan. 16.* ait: *Cum venerit ille*, Spiritus sanctus, *arguet mundum de peccato... de peccato quidem, quia non crediderunt in me*; atqui frustra arguerentur, qui Evangelium respuerunt, si ipsis defuisset gratia interior, sine qua non potuerunt credere, nam ut ait D. Aug. (*lib. 15.* de civit. Dei, *cap. 6.*): "Nisi Deus interiore gratia mentem regat, atque agat, nihil prodest homini omnis prædicatio veritatis."

Q. 5. Utrum infidelibus negativis, *iis nempe qui Evangelii prædicationem non audierunt*, dentur gratiæ saltem remote sufficientes? *R. Affirm.* Nam Scriptura, *Sap. 12.* dicit: "O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus! ideoque eos, qui exerrant, *id est*, *Ethnicos* partim corripis: et de quibus peccant, admones et alloqueris, ut, relicta malitia, credant in te, Domine;" *atqui* eos non admonet peccatorum, nec eos alloquitur, nisi per gratiam interiorem: *ergo*::: Ratio à priori est, quod Deus omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire velit, voluntate vera et sincera, ex qua in omnes profluunt gratiæ sufficientes: *ergo*.

Obj. Fides est prima gratia; *atqui* infide-

Digitized by Google

les non habent fidem: ergo. *Nego maj.* si nomine fidei intelligatur fides perfecta et christiana, id est, assensus, quem intellectus præbet revelatis: scilicet assensum illum præcedunt pia cogitatio de credendo, sancta voluntatis motio erga revelata, quæ sunt fides inchoata, quæ non potest haberi sine gratia. Hinc merito damnata est hæc Quesnelli propositio: *Fides est prima gratia et fons omnium aliarum.*

Inst. 1.° D. Aug. (*Tract. 3. in Joan.*) ait: *Quam gratiam primo accepimus? fidem*: ergo. *Dist. conseq.* Fides est prima gratia comparate ad gloriam, *conc.* absolute, *nego conseq.* Hinc enim D. Aug. comparat fidem cum gloria, et docet, fidem qua promerita est vita æterna, esse ipsa vita æterna priorem: addit enim, *quia ipsa fides gratia est, et vita æterna gratia est pro gratia.*

Inst. 2.° D. Aug. (*lib. de gestis Pelagii, cap. 14.*) ait: *Fides initium est, unde bona opera incipiunt*: ergo. *R.* D. Aug. ibi per fidem non intelligit fidem perfectam et christianam, qua creditur explicite in Christum; sed fidem imperfectam et inchoatam, quia creditur in Deum quomodocumque, non tamen sine aliquo supernaturali lumine, qualis fuit fides in Cornelio. Fidem imperfectam D. Aug. comparat cum conceptione; perfectam vero cum nativitate, et addit: *Non tamen solum concipi, sed etiam nasci opus*

Digitized by Google

est, ut ad vitam perveniatur æternam.

Inst. 3.° *Act. 16.* Paulus et Timotheus, *vetati sunt à Spiritu sancto loqui Verbum Dei in Asia*: ergo Asiaticis Deus denegavit auxilium fidei, sive inchoatæ, sive perfectæ. *Nego conseq.* Quoad fidem imperfectam; hæc enim haberi potest ante prædicationem Evangelii, ut patet exemplo Cornelii, cujus orationes et eleemosynæ meritum habuere, antequam ipsi Evangelium annuntiasset D. Petrus: *ergo* jam in ipso erat inspiratio, et inchoatio fidei, ut docet D. August. dicens: *Nec tamen sine aliqua fide donabat, et orabat.*

Obj. 2.° Si infidelibus negativis dentur gratiæ sufficientes, quibus ad fidem adduci possent, si illis bene uterentur, ignorantia mysteriorum fidei, qua laborant, erit vincibilis et culpabilis, utpote voluntaria in causa; consequens est falsum et damnatum in Bajo: ergo. *Nego seq. maj. et ejus probat.* Nam ut aliquid sit voluntarium in causa, non sufficit ut sequatur ex illa causa; sed insuper requiritur, ut cognoscatur, aut cognosci possit, sequi ex illa causa; *atqui* infideles negativi nec cognoscunt, nec cognoscere possunt ex transgressione legis naturalis, sequi infidelitatem, cum inter utrumque non sit necessaria connexio: *ergo*, &c.

Q. 6. Utrum iis infantibus, quibus, sive in lucem ediis, sive in utero materno, ab-

Digitized by Google

sque ulla parentum aut aliorum culpa decedentibus, nulla humana industria Baptismus applicari potest, Deus de remedio salutis sufficienter, quantum est ex se, providerit? *R. Affirm.* Nam 1.° Deus illos infantes vult sincere salvos fieri, *nunquid parvuli homines non sunt, ut non pertineant ad id, quod dictum est, omnes homines*? ait D. August. (*lib. 4. contra Julian. cap. 8.*) expendens hanc Apostoli sententiam: *Omnes homines vult salvos fieri:* 2.° Deus Baptismum instituit ad illorum infantium salutem, et iis per se facile applicari potest, licet propter aliquod impedimentum interveniens, illis applicari non possit.

Obj. D. Aug. (*lib. de dono persev. c. 12.*) ait: *Plerumque enim festinantibus parentibus, et paratis ministris, ut Baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente, non detur:* ergo Deus aliquibus parvulis non vult applicari remedium salutis. *Dist. conseq.* Non vult voluntate efficaci consequente prævisionem obstaculorum non tollendorum, nempe concursum causarum secundarum, in quo mors parvuli naturaliter et sine miraculo vitari nequit, *conc.* voluntate antecedente et conditionata, *nego conseq.* Deus itaque cum sit provisor universalis omnium causarum, permittit, illas cursum suum naturalem servare, nec, ut subveniatur tali puero, tenetur per miraculum, aut turbare naturalem rerum

Digitized by Google

ordinem, aut puerum in vitam conservare plusquam exigit ordo naturalis.

DISSERTATIO II.

De Gratia habituali.

Q. 1. Quid sit gratia habitualis? *R.* Est "donum Dei supernaturale homini intrinsece et permanenter inhærens, quo redditur formaliter Sanctus, Deo gratus, Filius Dei adoptivus, et hæres vitæ æternæ." Dicitur 1.° *Donum supernaturale*, id est, naturæ vires superans: 2.° *Intrinsece inhærens*, quia infunditur animæ, eamque intrinsece informat, et reddit formaliter sanctam, juxta illud, 1. *Cor. 3. Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* Et illud, 1. Joan. 3. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet*: Ergo gratia sanctificans *habitat* et *manet* in homine justo, qui consequenter fit Sanctus per donum internum animæ ejus inhærens.

Ergo hæretica est doctrina Calvini docentis, hominem non esse justum per interiorem justitiam, sed duntaxat per extrinsecam imputationem justitiæ Christi, qua ejus obteguntur peccata, ita ut gratia sanctificans sit ipsamet justitia Christi per fidem apprehensa, et nobis imputata, non quidem

Digitized by Google

per fidem, qua simpliciter credimus, sed qua firmiter confidimus in promissionibus divinis, ita ut apud eos, fides nihil sit aliud, quam certa fiducia, qua, veluti manu, apprehendimus justitiam Christi, tanquam vestem, qua nos operimus, juxta illud, *Rom.* 13. *Induimini Dominum Jesum.*

Obj. Christus, ex Apost. 1. *Cor.* 1. *Factus est nobis sapientia à Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio*: ergo justi efficimur per justitiam Christi nobis imputatam. *Dist. ant.* Factus est nobis justitia, &c. efficienter et meritorie, *conc.* formaliter, *nego ant.* Hic enim per metonymiam sumitur causa pro effectu; unde concil. Trid. (*sess. 6. cap. 7.*) exponens causas justificationis, ait: "Unica formalis causa *justificationis* est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit." *Et can. 11.* "Si quis dixerit, homines justificari, vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat: aut etiam gratiam qua justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit."

Dicitur 3.° *Permanenter*, quia confertur per modum habitus stabilis et permanentis, ut patet exemplo parvulorum, qui per baptismum sunt permanenter justi, nec capaces sunt illius actus: 4.° *Quo redditur Fi-*

Digitized by Google

lius Dei adoptivus; quia infusio gratiæ habet speciem divinæ cujusdam generationis, quæ nos efficit *divinæ consortes naturæ*, 2. *Petri* 1. Dicitur 5.° *Hæres vitæ æternæ*: Nam, *Rom.* 8. dicitur: *Si Filii, et hæredes: Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

Q. 2. Utrum gratia habitualis distinguatur realiter à charitate? *R.* Affirmant Thomistæ; probabilius negant Scotistæ, quia in Scripturis omnes effectus gratiæ habitualis tribuuntur charitati.

Q. 3. Quot sint effectus gratiæ habitualis? *R.* Duo, justificatio, nimirum et meritum: *Justificatio* definitur à Concil. Trid. (sess. 6, cap. 4.) *Translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ*, id est, à statu peccati, *in statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam, Jesum Christum.*

Q. 5. Utrum in justificatione impii vere deleantur peccata? *R. Affirm.* Prout Ecclesia in concil. Trident. (*sess.* 5. *can.* 5.) definivit contra Calvinum: "Si quis per Domini nostri Jesu Christi gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum peccati originalis remitti negat; aut etiam asserit, non tolli totum, quod veram et proprium peccati rationem habet, sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari, anathema sit." Deus enim *Isaiæ* 43. ait: *Ego sum ipse, qui deleo ini-*

Digitized by Google

quitates tuas propter me. Et *Joan. 11.* dicitur: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: ergo.

Obj. In justificatione peccata solummodo teguntur, non imputantur, dissimulantur; ait enim David, *Psal. 31. Beati... quorum tecta sunt peccata*: ibidem dicit quoque: *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* Et Sap. *11. Dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. R. Nego ant.* Et dico ad 1. quod peccata ita tegantur, ut non remaneant, sed deleantur; dicitur enim: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates*; Et Psalm. 50. *Dele iniquitatem meam.* Dico ad 2. quod *non imputare*, idem est ac *non punire* id quod non est, ut insinuat secunda pars illius versus: *Nec est in spiritu ejus dolus*, id est, peccatum; si non est, quomodo remanet? Dico ad 3. quod *dissimulare* sumitur pro *delere*, *auferre*; unde Syriaca versio habet: *Miserens omnium... et auferes iniquitates hominum, cum pœnituerit eos.*

Q. 6. Utrum in justificatione impii fiat interior animi renovatio per gratiam animæ ejus inhærentem? *R. Affirm.* Ut Conc. Trid. (*sess. 6. cap. 7.*) definit contra Calvinistas: *Justificatio*, inquit, *non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum.* Nam *Ephes. 4.* dicitur: *Renovamini spiritu mentis ve-*

Digitized by Google

stræ; et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.

Obj. 1.° *Joan.* 3. dicitur: *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolveret opera diaboli:* Ergo justificatio consistit in sola peccatorum remissione. *Nego conseq.* Nam opera diaboli non dissolvuntur, nisi per deletionem peccati, et novæ vitæ supernaturalis largitionem; Christus enim, *Joan.* 10. ait: *Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant.*

Q. 7. Utrum in adultis prærequirantur dispositiones ad justificationem? *R. Affirm.* Nam *Isaiæ* 45. dicitur: *Convertimini ad me, et salvi eritis; Atqui* illa conversio ad Deum fieri nequit absque motu liberi arbitrii: *ergo*, &c. Hinc *Prov.* 16. dicitur: *Hominis est animam præparare, dirigitur, cum adjutorio Dei tangentis cor hominis per auxilium gratiæ*, ait D. August. (*lib. ad Bonif. c.* 9.) Ratio à priori est voluntas Dei, qui noluit salvare hominem sine hominis cooperatione.

Obj. Si ad justificationem requireretur actus liberi arbitrii, Deus expectaret voluntatem nostram; *atqui*, ex Concil. Arausicano 11. *Ut à peccato purgemur, Deus voluntatem nostram non expectat*: ergo, &c. *Dist. maj.* Deus expectaret voluntatem nostram, quæ excitata à gratia præveniente sese ad gratiam justificationis cum gratia adjuvante præparet, *conc.* quæ præveniat gratiam ex-

Digitized by Google

citantem et adjuvantem; *nego maj.* Hoc ultimo sensu Concil. Arausicanum dicit: *Deus voluntatem nostram non expectat.*

Q. 8. Quænam dispositiones requirantur ad justificationem? *R.* Ex Concil. Trident. (*sess. 6. cap. 6.*) requiruntur, 1.° *Fides*, juxta illud Matth. ult. *Qui non crediderit, condemnabitur*: 2.° Timor divinæ justitiæ: dicitur enim Eccl. 1. *Timor Domini expellit malum; nam qui sine timore est, non poterit justificari*: 3.° Actus spei, Rom. 8. *Spe salvi facti sumus*: 4.° Actus dilectionis Dei: 1. Joann. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Quænam autem dilectio requiratur, dicetur in Dissert. de Pœnitentia: 5.° Pœnitentia, de qua *Act.* 2. dicitur: *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus sancti*, id est, gratiam justificantem.

Obj. 1.° Sola fides ad justificationem disponit, juxta illud, Matth. 9. *Fides tua te salvum fecit*: ergo. *Nego ant.* Quod damnatum est in Calvino à Concil. Trid. can. 9. „Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur: . . . anathema sit.„ Textus allatus intelligi debet de fide formata, quæ *per charitatem operatur.*

Inst. Apost. *Ephes.* 2. à dispositionibus justificationis excludit opera: *Gratia enim*

Digitized by Google

estis salvati per fidem... non ex operibus: ergo, &c. *Dist. ant.* Excludit opera sine fide et gratia facta, *conc.* cum gratia, et fide facta, *nego ant.* Itaque Apostolus solum rejicit opera ante fidem facta, quæ non sunt salutaria; quia cum fides sit omnis meriti fons et prima origo, nullum est ante ipsam opus meritorium.

Ita D. August. lib. de prædest. Sanctor. cap. 7. »Ideo dicit Apostolus justificari hominem ex fide et non ex operibus, quia ipsa prima dátur, ex qua impetrentur cætera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus vivitur.» Et lib. de grat. et lib. arbit. c. 7. »Homines non intelligentes, quod ait Apostolus, *inquit*, putaverunt, eum dicere, homini sufficere fidem:: etiamsi opera bona non habeat, quod absit.» Loquitur ergo Apostolus de fide vestita operibus spei, charitatis, pœnitentiæ, uno verbo, de fide, *quæ per charitatem operatur*, ad Galat. 5.

Q. 9. Quænam fides præparat ad justificationem? *Nota.* Triplicem fidem distinguunt hæretici hujus temporis, duce Calvino, nempe, 1.° *fidem historicam*, seu *dogmaticam*, qua credimus, vera esse, quæ à Deo revelata et promissa sunt: 2.° *Fidem miraculorum*, quæ est, juxta Calvinum, facultas edendorum miraculorum:. 3.° Tandem, *Fidem promissionum*, quæ est certa fiducia, qua credimus, veras esse promissiones de gratuita peccatorum remissione per Christi

Digitized by Google

merita; et hanc iterum duplicem esse dicunt, nempe, *generalem*, qua credimus, omnibus, qui in Christum credunt, promissam esse peccatorum remissionem; et *particularem*, qua unusquisque sibi divinam promissionem applicans, credit, seu potius confidit, sibi omnia sua peccata esse dimissa per Christum, hancque esse, quæ disponit ad justificationem; contra quos

R. Fides necessaria ad Justificationem est fides historica, seu dogmatica, ut definivit Concil. Trid. (*sess. 6. can. 12.*): »Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis per Christum... anathema sit.« Ratio est, quia Scriptura actum fidei ad justificationem disponentis describens, illum explicat per assensum datum divinæ revelationi, Marci ult. *Prædicate Evangelium omni creaturæ*: *qui crediderit* (omnia in eo contenta) *salvus erit.*

Obj. Christus *Matth. 9.* dixit: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua*: ergo, &c. *Nego conseq.* Equidem ad remissionem peccatorum requiritur fiducia, quæ est actus spei, quia peccator sperat sibi remittenda peccata per Christum; sed nec sola requiritur, cum præsupponat actum fidei, quo peccatores *libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, et promissa sunt*, ut docet Concil. Trident. *cap. 6.* Nec est illa hæreticorum fides, qua

Digitized by Google

Q. 14. Quotuplex sit meritum? *R.* Duplex, nempe, meritum *de condigno*, cui præmium debetur ex aliqua justitia; et meritum *de congruo*, cui præmium debetur ex aliqua duntaxat decentia et congruitate: quod si habeat promissionem adjunctam, dicitur, *de congruo infallibili*; si vero non habeat promissionem adjunctam, dicitur, *de congruo fallibili.*

Q. 15. Utrum bona justorum opera sint meritoria? *R. Affirm.* Prout conc. Trid. definivit contra Calvinum et Lutherum: *Si quis dixerit*, ait, can. 32. *hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati meritâ... anathema sit.* Nam, *Eccl.* 13. dicitur: *Ne verearis usque ad mortem justificari, quia apud Dominum est merces bonorum operum.*

Obj. Rom. 6. dicitur: *Gratia autem Dei vita æterna*: ergo non est merces. *R. Nego conseq.* Nam vita æterna dicitur et merces et gratia: gratia, quia principium meriti habemus ex gratia gratuito data: merces vero, quia retribuitur bene operantibus per vires à gratia acceptas. *Inst.* Gloria est nostra hæreditas, *Rom.* 8. *Si filii et hæredes*: atqui hæreditas confertur filiis absque ullo merito ergo. *R. Dist. maj.* Est hæreditas, jure adoptionis ineunda, *conc.* jure nativitatis, *nego.* Porro conditiones adoptionis divinæ sunt observatio mandatorum, ex *Matth.* 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

Digitized by Google

Q. 16. Quot conditiones requirantur essentialiter ad meritum de condigno? *R.* Requiruntur sex, nempe, duæ ex parte hominis merentis; tres ex parte actus meritorii; et una ex parte Dei præmiantis. *Ex parte hominis*, requiritur 1.° quod sit justus, nam Christus, *Joan.* 15. dicit: *Sicut palmes non potest ferre fructum ex semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me* (per gratiam sanctificantem) *manseritis*.. 2.° Quod sit viator, nam *Joan.* 9. dicitur: *Venit nox, quando nemo potest operari*, ubi per *noctem* intelligit mortem.

Ex parte actus, requiritur 1.° quod sit liber à necessitate; unde hæretica est hæc Jansenii prop. *Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione*... 2.° Quod sit bonus et honestus, 2. *Pet.* 1. ubi legitur: *Satagite, ut per vestra bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis*... 3.° Quod sit supernaturalis, tum in *entitate*, ita ut eliciatur ex gratiæ actualis auxilio, tum *quoad modum*, ita ut eliciatur ex imperio charitatis: *hoc amore opus est*, inquit D. Aug. lib. 4. contra Julianum, c. 3. *ut bonum beatificum sit*, id est, meritorium beatitudinis.

Ex parte Dei requiritur promissio mercedis; nam Deus non potest nobis debitor fieri, nisi intercedat promissio ex parte ipsius; unde vita æterna dicitur in Scripturis pro-

Digitized by Google

missio, nam Apost. *Hebr. 10.* eis dicit: *Ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.*

Q. 17. Utrum justus possit mereri reparationem suam post lapsum futurum? *R.* Non potest illam mereri *de condigno*, quia nullibi id promisit Deus: potest tamen illam mereri de congruo fallibili, quia eam petit cum Propheta, *Psal. 70. Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me*: atqui frustra eam peteret, nisi posset mereri de congruo, et impetrari: *ergo.*

Q. 18. Utrum justus possit mereri de condigno gratiam perseverantiæ? *R.* Non potest secundum viam ordinariam, quia nulla in Scriptura reperitur talis promissio à Deo facta; potest tamen mereri de congruo fallibili; nam ex D. August. l. de dono persev. cap. 6. *Hoc donum Dei suppliciter emereri potest*: atqui suppliciter emereri, est mereri de congruo: *ergo.*

Q. 19. Utrum justus possit alteri mereri primam gratiam? *R.* Non potest *de condigno*, quia non promisit Deus, se daturum aliis, quod in eorum favorem petierimus; potest tamen *de congruo fallibili*, justa illud *Jacobi 5. Orate pro invicem, ut salvemini.* Hinc Deus, iratus amicis Job, eos remittit ad illum, ut pro ipsis oret, et impetret veniam peccati eorum; et August. *Serm. 2. de Sanctis*, ait: *Si Martyr Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum hodie non haberet.*

Digitized by Google

INDEX

TITULORUM.

TRACTATUS PRIMUS.

De Prolegomenis.

Dissertatio I. *De Ipsa Theologia*..... Pag. 4.
Dissert. II. *De Locis Theologicis*..... 12.
Cap. I. *De Scriptura sacra*..... ibid.
Cap. II. *De Traditione, et SS. Patribus*..... 28.
Cap. III. *De Ecclesia*..... 37.
§. I. *De Membris Ecclesiæ*..... ibid.
§. II. *De Notis Ecclesiæ*..... 45.
§. III. *De Proprietatibus Ecclesiæ*..... 50.
Cap. IV. *De Romano Pontifice*..... 56.
Cap. V. *De Conciliis*..... 60.
§. I. *De Conciliis in genere*..... ibid.
§. II. *De Conciliis generalibus in specie*..... 68.
Cap. VI. *De Locis extrinsecis Theologiæ*..... 81.
Dissert. III. *De Propositionum Censuris*..... 83.

TRACTATUS II.

De Deo Uno.

Dissert. I. *De Existentia Dei*..... 86.
Dissert. II. *De Natura, seu Essentia Dei*..... 96.
Dissert. III. *De Attributis divinis generatim*..... 100.
Dissert. IV. *De Attributis divinis speciatim*..... 106.
Cap. I. *De Simplicitate Dei*..... ibid.
Cap. II. *De Infinitate, et perfectione Dei*..... 111.
Cap. III. *De Immutabilitate, incomprehensibilitate, et ineffabilitate Dei*..... 114.
Cap. IV. *De Invisibilitate Dei*..... 118.
Cap. V. *De Visibilitate Dei*..... 121.
Cap. VI. *De Dei æternitate, immensitate, et bonitate.* 138.
Cap. VII. *De Intellectu et scientia Dei*..... 145.
§. I. *De Existentia, proprietatibus, et divisione*

Digitized by Google

scientiæ Dei..... ibid.
§. II. *De Scientia simplicis intelligentiæ*..... 147.
§. III. *De Scientia visionis*..... 149.
Cap. VIII. *De Voluntate Dei*..... 164.
Appendix. *De Voluntate Dei circa salutem omnium.* 171.
Cap. IX. *De Justitia, misericord. et provid. Dei*... 176.
Cap. X. *De Prædestinatione*..... 178.
Cap. XI. *De Reprobatione*..... 189.

TRACTATUS III.

De Deo Trino.

Dissert. I. *De Trinitatis mysterio in genere*..... 196.
Cap. I. *De Existentia SS. Trinitatis*..... ibid.
Cap. II. *De Modo cognoscendi SS. Trinitatem*..... 209.
Cap. III. *De Processionibus divinis*..... 211.
Cap. IV. *De Personalitatibus et relationibus divinis.* 225.
Cap. V. *De His, quæ tribus personis sunt communia.* 230.
Dissert. II. *De Personis divinis in particulari*.... 233.
Dissert. III. *De Mutua prædicatione nominum absolutorum de relativis et vicissim*..... 236.

TRACTATUS IV.

De Deo Creatore.

Dissert. I. *De Angelis*..... 238.
Cap. I. *De Existentia, natura, &c. Angelorum*.. ibid.
Cap. II. *De Loco, motu, potentia motrice, et locutione Angelorum*..... 240.
Cap. III. *De Peccato, et pœna peccati Angelorum.* 241.
Cap. IV. *De Variis Angelorum ordinibus, ac de eorum missione, illuminatione, et custodia*..... 243.
Dissert. II. *De Creatione primi hominis*..... 247.

TRACTATUS V.

De Deo Incarnato.

Dissert. I. *De Possibilitate, convenientia, &c. Incarnationis*..... 256.
Cap. I. *De Possibilitate Incarnationis, &c*..... ibid.
Cap. II. *De Necessitate Incarnationis*..... 262.

Digitized by Google

Cap. III. *De Existentia Incarnationis*..... 265
Cap. IV. *De Causis Incarnationis*..... 270
Cap. V. *De Quidditate Incarnationis*..... 276.
Quæstio I. *De Persona assumente, et natura assumpta*..... ibid.
Quæstio II. *De Unione hypostatica*..... 288.
Dissert. II. *De Christo*..... 300.
Cap. I. *De Scientia Christi*..... ibid.
Cap. II. *De Gratia, donis, ac virtutibus Christi*.. 303.
Cap. III. *De Libertate, et merito Christi*..... 307.
Cap. IV. *De Satisfactione Christi*..... 312.
Cap. V. *De Variis Christi titulis et officiis*..... 318.
Cap. VI. *De Adoratione, seu cultu Christi, ejus Matris, Sanctorum, Imaginum, ac Reliquiarum*. 326.
Cap. VII. *De B. V. Maria, Matre Christi*..... 332.

TRACTATUS VI.

De Gratia Christi.

Dissert. I. *De Gratia actuali*..... 336.
Cap. I. *De Necessitate gratiæ actualis*..... ibid.
Cap. II. *De Natura, et divisione gratiæ actualis*. 350.
§. I. *De Gratia sufficienti*..... 351.
§. II. *De Gratia efficaci*..... 357.
Cap. III *De Distributione gratiæ sufficientis*.... 358.
Dissert. II. *De Gratia habituali*..... 366.

Digitized by Google

Fe de erratas del compendio de Teología dogmática del P. Charmes.

Pág.	lín.	dice	lee
6	10	Ps. 100	Ps. 109
20	16	græci	græce
53	21	*Probat*	*Probari*
138	11	Deo	à Deo
187	4	rapit	rapiet
215	11	intellectionem	intellectione

Fe de erratas del compendio de Teología moral del P. Charmes.

Pág.	lín.	dice	lee
6	18	si	sic
30	13	efficiens	afficiens
32	6	sacerdos conjugatus	sacerdos, conjugatus
94	21	aliqua	aliquas
66	17	recitare	recitari
406	1	intelligibilis	ineligibilis

ADVERTENCIA DEL EDITOR.

Si desde el principio hasta el fin, *benévolo lector*, lees sin preocupacion este compendio (lo mismo digo del otro del mismo autor, intitulado: *Compendium Theologiæ moralis*), te verás en la precision de confesar, que tanto en la impresion, como en la correccion de varios defectos substanciales, y claridad en muchos puntos, excede sobremanera esta impresion á todas quantas has visto.

Digitized by Google

Digitized by Google




Digitized by Google